


JOSEPHI FERRANTE

ELEMENTA

JURIS CANONICI



JOSEPHI FERRANTE

OLIM

ADVOCATI, ET ANTECESSORIS

IN ARCHIGYMNASIO ROMANO

ELEMENTA JURIS CANONICI

EDITIO PRIMA.







ROMAE

EX TYPOGRAPHIA VEN. HOSPITII APOSTOLICI

MDCCCLIV.

Praesidum facultate.

EDITORES LECTORIBUS



Nihil novum, vel singulare proferre intendimus, dum typis nostris Josephi Ferrante praeclarissimi Professoris Canonicas Institutiones imprimendas curamus. Norunt quidem omnes qui ejus praelectionibus interfuerunt, et adhuc supersunt, quam dilucide, ordinatim, et quantum fieri poterat laconice componere adlaboraverit, ut essent totius legitimae sacrorum Canonum scientiae prima, et selectiora elementa. Idcirco omnibus, qui ea delibare saltem habent in votis, utilissima fore censemus, judiciumque publicum nobis adfuturum non dubitamus.

Pauca de Auctoris vita.

Joseph Ferrante ex illustri et adhuc florenti familia anno salutis 1754. natus est Civitellae prope Antiuum in Marsiis, aetatisque suae anno decimo sexto studiorum causa Romam venit. Quae studia quanta mentis alacritate prosequutus fuerit, quanto plausu et honore ad finem perduxerit, maximopere probant non modo Laureae, quas ad Honorem tum in sacra Theo-

logia, tum in utroque Jure assequutus est, sed praeclara ingenii et virtutis ejus testimonia, quae dederunt Michael Di Pietro Professor in Archigymnasio Romano postea Cardinalis, et Eminentissimus Card. Leonardus Antonelli, cujus a studiis fuerat.

Silentio praeterire nolumus Censoris Academiae Theologicae, et Rectoris almi Collegii Capranicensis munia sapienter, solerterque explevisse; necnon prae ceteris usum fuisse consuetudine et amicitia Equitis Dominici Morichini in Romano Archigymnasio Professoris, Viri per totam Europam celeberrimi.

Ad Institutiones Canonicas praelegendas in Archigymnasio Romano majori suffragiorum numero in concursu diei 10. Decembris 1782. electus, studio tam singulari, tamque praestanti bonitate munere suo functus est, ut ejus discipuli amatissimo praeceptori inopinanter erepto anno 1803. voluerint V. Kalend. Julii justa solemnia celebrare, eumque honestare titulis hujusmodi.

Supra portam Templi.

IOSEPHO · FERRANTE
IN . ARCHIGYMNASIO . ROMANO
SANCTIORIS . IVRISPRVDENTIAE
ANTECESSORI
CONTRA . OMNIVM . VOTA
FIRMA . ADHVC . AETATE . PRAEREPTO
DISCIPVLI
QVOS . AMAVIT . COLVIT . IVVIT
AD . LACRYMAS . RELICTI
AERE . COLLATO . DEBITVM . FVNVS

Ad molem funebrem.

QVISQVIS . ADES
PACEM . ET . FELICITATEM . CAELESTIVM
ADPRECATOR
IOSEPHO · FERRANTE
IN . ROMANO . LYCEO
IVRIS . PONTIFICII . TRADENDI
DOCTORI . DECVRIALI
CVI . NON . TAM . EIVS . AVDITORES
MOESTISSIMI . INCONSOLABILES
QVAM . LITERAE . PIETAS . RELIGIO
PARENTANT
AVE . PRAECEPTOR . AMANTISSIME
ITERVM . AVE . ET . SALVE
NVMQVAM . NON . TVI . MEMORES . FVTVRI

INSTITUTIONUM JURIS CANONICI

LIBRI TRES

PROOEMIUM.

PARS PRIMA.

DE ORIGINE ET PROGRESSU JURIS CANONICI.

Nulla omnino esse potest societas ordinata quidem et composita, quae proprias non habeat leges suae naturae et fini accomodatas.

Ecclesia Christi procul dubio est vera societas. Nam est *coetus omnium colentium Deum, qui inter se conjunguntur unius ejusdem Christianae fidei professione, eorumdem sacramentorum communione sub regimine legitimorum pastorum, et praecipue Romani Pontificis supremi in terris Christi vicarii, totiusque societatis capitis.* Necesse est igitur, ut Ecclesia suas leges habeat, quibus regatur, et quibus certe nunquam illa caruit, vel carere unquam poterit.

Et sane in Ecclesia Synagogae Deus praeter decem Decalogi praecepta, et illa *Politiam* spectantia, plures alias leges dedit, quae ritus, caeremonias, sacros ministros, uno verbo religiosum Dei cultum continebant.

Cum autem Synagogae successerit Christi Ecclesia; ipse Jesus Christus plurimas dedit suae Ecclesiae leges; illis vero legibus alias Apostoli potestate sibi tradita utentes addiderunt pro bono Ecclesiae regimine. Quas omnes leges in Sacris Scripturis Novi Testamenti per manus eorum successorum traditas adhuc retinemus.

Paucae quidem leges illae numero fuerunt. At pro nascentis Ecclesiae infantia, eorumque temporum conditione satis erant ad continendos in officio Christianos. Tunc enim Fideles ob recentem Christi memoriam, et Apostolorum, apostolicorumque virorum exempla sponte sua ad Evangelii normam mores componebant suos.

At progressu temporis Ecclesia cum mira se celeritate, et foecunditate diffuderit, tum temporis lapsus tum locorum distantia fecit, (id quod omnibus societatibus usuvenire compertum est) ut fideles minus exemplo, et me-

moria Fundatorum commoti novis legibus indigerent, quibus ad virtutem excitarentur.

Cum autem statuerit Christus, ut Ecclesiam suam, quae usque ad consummationem saeculorum esset duratura, semper aliqui regerent cum potestate leges ferendi; curaverunt semper Christianae rei antistites suis legibus providere, siquid novi statuendum esset pro rerum conditione. Plurimas etiam nunc habemus ex illis antiquissimis legibus, quas primi Apostolorum successores decreverunt. Hujus generis sunt Constitutiones editae in Concilio Carthaginiensi anno 253., et Eliberitani anno 305. super modo quo Christianos, qui ob vim persecutionum a fide defecerunt, sui criminis poenitentes reconciliare oporteret.

Huc etiam spectant *Canones*, qui vulgo *Apostolorum* dicuntur. Repraesentant enim disciplinam per tria priora saecula in Ecclesiis praesertim orientalibus vigentem. Et quamvis non defuerint Scriptores, qui eos Canones ipsis Apostolis tribuerint; tamen communiter hodie defendunt eruditi falso eos Canones Apostolicos esse suppositos.

Eo autem nomine fuerunt nuncupati, tum quia plures eorum forte fuerunt ab Apostolis voce traditi, tum quia vel reliqui eorum, vel etiam omnes fuerunt ab Apostolorum successoribus statuti, qui teste Tertulliano, Apostolici viri nominabantur.

Ejusdem fere antiquitatis sunt *Constitutiones* dictae *Apostolicae*, quae certe comprehendunt leges, mores, ritus, ac liturgias, quibus in primis tribus saeculis, et etiam quarto sub Ethnicis Imperatoribus, diversae Orientis Ecclesiae regebantur.

At post datam Ecclesiae pacem a Constantino Magno celebriores et frequentiores esse coeperunt Episcoporum conventus, in quibus leges statuebantur adversus eos, qui vel novitates in Ecclesiam inducere studebant, vel in praecipuis disciplinae capitibus ab aliis dissentiebant. Hac igitur ratione magnopere crevit numerus Canonum, seu legum, quibus Ecclesiastica negotia dirigerentur.

Tunc igitur inceptum est cogitare de his Canonibus colligendis, quemadmodum leges Romanas sub regum imperio latas, numeroque satis jam conspicuas collegit primum Cajus Papirius.

Et sane Ecclesia Graeca prior coepit Synodorum generalium et particularium regulas servare, et in unum codi-

cem redigere. Quando igitur novae oriebantur difficultates ad eum codicem Patres confugiebant, ut enatas quaestiones dirimerent, veluti praesertim constat ex actis Synodi Chalcedonensis actione quarta. Et multae quidem fuerunt apud Orientales Canonum collectiones; sed quod nostra magis interest, de latinis collectionibus sermonem instituamus.

Itaque Ecclesia Romana diu solis Scripturis, et Apostolicis traditionibus et canonibus Nicaenae Synodi usa est, quemadmodum patet ex epistola Innocentii I., tum ad Clerum Constantinopolitanum, tum ad Theophilum Alexandrinum.

Verum saeculo VI. ineunte Dionysius cognomento *exiguus* doctrina et pietate maximus, professione Monachus, natione Scytha, domicilio Romanus, Canonum et Decretalium epistolarum Romanorum Pontificum collectionem adornavit, eamque in duas partes divisit. In prima Graecos Canones elegantius redditos latine apposuit, Sardicenses, Africanos adjecit, quinquaginta etiam Canones Apostolorum, postremo Chalcedonenses, omisso ultimo de aequalibus Privilegiis Episcoporum Romani, et Constantinopolitani a Latinis nunquam recepto. In secunda parte collegit Epistolas Decretales Romanorum Pontificum, quibus ii ab Episcopis consulti de fide, moribus, et disciplina responderant.

Dionysii exemplum, ut alios omittam, sequuti sunt eodem saeculo Fulgentius Ferrandus Carthaginiensis Ecclesiae Diaconus, qui scripsit *breviationem canonum*, et Martinus ex Pannonia oriundus, Episcopus Bracarensis in Hispania, qui ex Canonibus Graecis et Hispanis suam adornavit collectionem.

Divum Isidorum Hispalensem Episcopum sanctitatis et doctrinae laude insignem, qui vita functus est anno 636, sacros Canones Conciliorum Graecorum Galliae et Hispaniae collegisse testatur *Trithemius De Scriptoribus Ecclesiasticis.*

Haec autem Collectio longe distat ab ea quam Isidorus alter *peccator* vel *mercator* dictus auxit ingenti numero falsarum Decretalium Epistolarum Romanorum Pontificum a S. Clemente I. usque ad S. Damasum I. Hanc collectionem ex Hispania in Galliam primum intulit Riculphus Moguntinus Episcopus, et promulgare studuit sub finem saeculi octavi, ut testatur Hincmarus Rhemensis in libro adversus Hincmarum Laudunensem nepotem suum.

Quamvis autem vel antiquissimi Scriptores hujus collectoris fraudem subodorati fuerint, illasque decretales epi-

stolas suspectas abjudicaverit idem Hincmarus Rhemensis: tamen a saeculo nono usque ad decimum quartum earum auctoritas multum invaluit, statimque illius collectionis canones citari, et vim in foro habere coeperunt, donec saeculo decimo sexto earum epistolarum falsitas artis criticae regulis certissime demonstrata est.

Plurimae aliae post eam Isidori prodierunt Canonum collectiones, praesertim saeculo X. Reginonis Benedictini Abbatis Promiensis de *Ecclesiasticis disciplinis* et *Religione Christiana*; et Burchardi Episcopi Vormatiensis sub titulo *Magnum decretorum volumen*, qui ambo falsas Isidorianas merces retinuerunt.

At iis omnibus Canonum collectoribus felicior sane fuit Gratianus Monachus Benedictinus, natione Tuscus, patria Clusinus, qui anno 1151. suam edidit collectionem sub nomine *Concordantiae discordantium Canonum*, quae deinde *Decretum* appellari coepit.

Componitur autem idem 1. ex Sacris Scripturis: 2. ex quinquaginta Canonibus Apostolorum: 3. ex Conciliis oecumenicis et particularibus: 4. ex Decretalibus Romanorum Pontificum partim genuinis, partim dubiae fidei, partim etiam apocryphis: 5. ex operibus Patrum, et auctorum Ecclesiasticorum: 6. ex libellis poenitentialibus: 7. ex libris Juris Civilis Romanorum, ex capitularibus Regum Francorum: 8. tandem ex historia ecclesiastica, gestisque Romanorum Pontificum e *libro diurno*, et *ordine Romano* desumptis.

Dividitur in tres partes, quarum prima est de *personis*, et in centum et unam distinctionem dividitur: distinctiones autem dividuntur in Canones. Secunda pars, quae agit *de judiciis Ecclesiasticis eorumque ordine* habet causas triginta sex, quarum singulae dividuntur in quaestiones, quaestiones in capita: sed quaestio tertia causae trigesimae tertiae subdividitur in septem distinctiones in quibus agitur de *poenitentia*. Tertia pars quae inscribitur de *consecratione* tractat de rebus sacris, et constat quinque distinctionibus.

Quamvis autem Gratiani collectio pluribus vitiis scateat, nullaque publica auctoritate fuerit munita, ne tunc quidem, cum Romanorum Pontificum studio fuit emendata: tamen ut prodiit summo plausu recepta est, ceterisque collectionibus neglectis ea tantummodo in usu coepit esse.

Licet ejus Canones in foro passim usurpentur; tamen vim legis nullam habent ex eo quod in Decreto fuerint inserti: sed eam tantum vim habent, quam ipsi per se extra Decretum haberent. Itaque si fuerint Canones Conciliorum generalium, vel Epistolae decretales Romanorum Pontificum tunc certe in universa Ecclesia legis habent auctoritatem: contra quae nullam ex se vim legis habent ex. g. sententiae unius, vel alterius Ecclesiae Patris eam ne consequuntur quidem in decreto relatae: propterea quod ea collectio a privato homine concinnata nunquam fuit publica auctoritate munita.

Quoniam vero post Gratiani Decretum novae in dies emergebant Romanorum Pontificum Constitutiones: factum est ut earum collectionum multitudo longum sane et difficile redderent Juris Canonici studium. Gregorius igitur IX. opera usus S. Raymundi de Pennafort Ordinis Praedicatorum suique Cappellani et Poenitentiarii novam ex integro collectionem perficiendam curavit, in qua continentur praesertim Decretales, quae in prioribus Collectionibus sparsae videbantur, Decreta Concilii Lateranensis IV, nonnullaque alia.

Universum opus, quod *Decretales Gregorii* IX. inscribitur, distinguitur in quinque libros quorum primus agit de *Judice*, alter de *Judiciis*, tertius de *Clero*, quartus de *Sponsalibus*, ultimus de *Criminibus*. Libri dividuntur in Titulos, Tituli in capita.

Cum autem Gregorius IX. in sua Collectione confirmanda prohibuisset, ne quis in posterum aliam collectionem faceret absque Sedis Apostolicae auctoritate: nulla sane usque ad annum 1300. prodiit Decretalium collectio. Sed hoc tempore Bonifacius VIII. aliam edidit collectionem, in qua non modo inseruit Constitutiones Romanorum Pontificum usque ad suam aetatem, sed etiam Canones duorum Conciliorum Lugduni habitorum sub Innocentio IV. anno 1245., et sub Gregorio X. 1274.

Haec autem Bonifacii collectio cum sit veluti appendix Decretalium Gregorii IX. *Sextus Decretalium liber* appellatur. Dividitur in quinque libros, libri in titulos, tituli in capita, quae ut distinguantur a capitibus collectionis Gregorianae, cum citantur, additur in 6., idest Sexto Decretalium libro, ex. gr. Cap. *Quam sit De electione* in 6.

Post Bonifacium Clemens V. in Concilio Oecumenico

Viennae in Galliis habito anno 1311. plures edidit Constitutiones, quas colligendas curavit, sed morte praeventus edere non potuit. Id fecit ejus successor Joannes XXII. Haec Clementina collectio eadem methodo dividitur, nempe in quinque libros, libri in titulos, tituli in capita, quae citantur duplici modo, ex. gr. Cap. *Si furiosus De Homicidio* in Clementinis, vel aliter in Clementina *Si furiosus De Homicidio*.

Post Clementinas prodierunt duae aliae Pontificiarum Constitutionum Collectiones, quarum una continet viginti Constitutiones Joannis XXII., altera continet plurium Pontificum Decretales ab Urbano IV. ad Sixtum IV. Cum neutra harum Collectionum edita fuerit Pontificis auctoritate idcirco dictae sunt *Extravagantes*, quasi Constitutiones in iis comprehensae extra corpus Juris communis vagarentur. Priores sic citantur *Extravag. Quia in futurorum* Joannis XXII. *de Torneamentis*. Secundae vero ita *Extravag. Ambitiosae De rebus Ecclesiae non alienandis.*

Itaque corpus Juris Canonici, quo Latina Ecclesia utitur constat 1. ex Decreto Gratiani, 2. ex Decretalibus Gregorii IX., 3. ex Sexto Decretalium Bonifacii VIII., 4. ex Clementinis, 5. ex Extravagantibus tum Joannis XXII. tum communibus, quae usu potius pro jure communi invaluerunt.

His addi possunt 1. Constitutiones Summorum Pontificum, quae jam editae sunt, et in diem prodeunt. 2. Regulae Cancellariae, quae Joannem XXII. habent auctorem. Hae tamen in eo differunt a ceteris Constitutionibus, quod morte cujusque Pontificis vim suam amittunt donec a novo Pontifice confirmentur. 3. Demum Canones SS. Concilii Tridentini, nec non decreta Sacrarum Congregationum Cardinalium, quae, si consulto Romano Pontifice prodierint, vim legis habent.

PARS II.

DE JURIS CANONICI NOMINIBUS, NATURA, FONTIBUS, DIVISIONIBUS ET OBJECTO.

Juris vocabulum multiplicem habet significationem, sed proprio sensu acceptum est jussum Dei vel hominis, qui legitimam habet jubendi auctoritatem. Jus hoc modo acceptum idem omnino est ac lex. Sed jus etiam dicitur

complexio legum omnium unius generis in systema potissimum redactarum, idest certa methodo dispositarum: sic dicitur jus civile, jus Romanum, jus Gallicum. Utroque sensu accipitur jus cum dicimus jus Canonicum; eo enim intelligimus tum legem tum complexionem legum. Addimus Canonicum, ut significemus leges, quibus regitur Ecclesia, quaeque distinctae omnino sunt a legibus civilibus.

Hoc autem jus, quo regitur Ecclesia pluribus nominibus appellatur; nempe dicitur Jus Canonicum, Ecclesiasticum, Sacrum, Pontificium.

Et primo quidem dicitur *jus Canonicum* quod Ecclesia solita fuerit nuncupare suas leges *Canones* idest *regulas* non modo ut nomen legis proprium esset legis divinae a Deo ipso Hebraeis traditae, sed etiam, ut fideles moneret nomine tam blando suas leges sequi sapientia magis regulae, quam necessitate legis.

Dicitur *jus Ecclesiasticum* ideo quod leges in eo contentae versantur supra personas, res, et judicia Ecclesiastica.

Eadem fere ratione dicitur *jus sacrum* propterea quod agit potissimum de sacris ministris, deque rebus quae ad eos, vel ad loca sacra pertinent.

Tandem dicitur *jus Pontificium* a suis auctoribus, qui nempe sunt sacrorum antistites, seu Pontifices: Pontificium enim nomen pro sacro Magistratu a Romanis usurpatum, Christiani eodem sensu receperunt.

Jus autem de quo hic agimus definiri potest *Collectio legum, quibus Christiani in fidei morum et disciplinae regulis informantur conditarum a Deo ipso Christo et ab Ecclesia per Apostolos, eorumque successores, idest Episcopos, et maxime Romanum Pontificem.* Ex hac definitione patet primo qui subjiciantur universo juri Canonico, prout a nobis definitum est. Eo enim tenentur soli Christiani, idest ii qui per Baptismi sacramentum, quo Christianam religionem profitemur et amplectimur, in Ecclesiam recepti ejus partes et membra evaserunt.

Judaeos igitur, Gentiles, Turcas jus Canonicum non obligat: at obligat quidem haereticos, schismaticos, excommunicatos, apostatas, propterea quod haec crimina minime delent in iis Baptismi sacramentum.

Patet etiam quodnam sit juris Canonici objectum, scilicet fides, mores, et disciplina. Fides et mores sunt qui-

dem objectum juri canonico et Theologiae commune ; at diverso modo. Nam Theologia solum inquirit, quae sint dogmata fidei, quid ad fidem proxime magis minusque spectet, quantum et quatenus opinio aliqua Catholicae doctrinae adversetur, quid recta ratio in actionibus praescribat, quid naturali honestati, et virtuti repugnet.

At jus canonicum non solum docet et tradit eas omnes leges, quae vel Dei revelatione, vel rationis lumine cognoscuntur, sed iis legibus divinis addit Ecclesiasticas leges eo spectantes, ut fides et mores a Fidelibus retineantur et augeantur. Hujusmodi sunt ex. gr. leges ab Ecclesia latae poenas decernentes, quibus plecti debent illi, qui in fide vel moribus deliquerint. Idcirco jus canonicum agit de haeresi, de apostasia, de simonia, de adulterio, de perjurio, de furto.

Disciplinae nomine hic intelligimus regimen membrorum Ecclesiae, externum religionis, ac virtutum exercitium. Quamvis autem disciplina sic definita aliqua ex parte sit objectum Theologiae, quippe quae etiam tractat primas illas et fundamentales disciplinae leges, quae ex sacris literis et divina traditione hauriuntur : tamen jus canonicum non modo continet haec universalia disciplinae praecepta, quae juris divini sunt, sed etiam jure suo ac proprio docet tot illas Ecclesiasticas Constitutiones, quibus regimen Ecclesiae externumque Religionis ac virtutum exercitium a Christo Domino et Apostolis traditur, et in Sacris Scripturis, veluti in nucleo, et semine expositum, latius deinde expressum, explicatum, et accomodatum est.

Denique ex eadem definitione patet, qui sint auctores earum legum, quibus jus Canonicum complectitur. Sunt nempe Deus ipse, cui refertur lex naturae: Christus, cui referuntur leges divinae verbo scripto vel tradito promulgatae: Ecclesiarum denique pastores, quales fuere Apostoli, eorumque successores idest Episcopi, et maxime Romanus Pontifex.

Itaque jus Canonicum conflatum est : 1. ex jure naturae et gentium : 2. ex sacris scripturis et traditionibus : 3. ex Romanorum Pontificum Constitutionibus : 4. ex Conciliorum decretis. Hi sunt quatuor veluti fontes juris canonici, quibus addi possunt Sanctorum Patrum sententiae. Breviter de singulis.

Jus naturae est legum complexio a D. O. M. per rectam

rationem generi humano promulgatarum circa ea quae facienda sunt vel omittenda.

Cum Deus igitur sit auctor legis naturae, eamque per rectam rationem promulget, satis constat juri naturae omnes homines subesse qui usu fruuntur rationis. Idem jus est prorsus immutabile, tum quia Deum habet auctorem sapientissimum, sanctissimum, et in sua sapientia et sanctitate immutabilem, tum quia idem jus sic Deus homini dedit, ut sit plane congruum et accomodatum hominum naturae, quae semper eadem est ac erit.

Sed praecepta juris naturalis quaedam cadunt in tales actus, qui nulla unquam re, seu conditione honestari possunt. Cujusmodi praecepta, quae vetant mendacium, perjurium, pravam in Deum ac proximum voluntatem. Quaedam vero cadunt in tales actus, qui possunt aliqua circumstantia cohonestari: sic ex. gr. homicidium, et furtum lege naturali prohibentur; verum si Deo jubente, qui Dominus est vitae, et rerum, vita impio, bona avaro auferantur, caedes illa, proximi, vel ablatio rerum, vitio carebunt: nam hi actus ex speciali circumstantia omnem malitiam exuerunt.

Jus gentium est idem jus naturae vitae hominis sociali idest negotiis societatum, integrarumque gentium accomodatum. Scilicet ad jus naturae pertinent illa praecepta, *Deum colere, nemini damnum inferre, suum cuique tribuere, pacta servare.* Haec enim praecepta hominem afficiunt, ut hominem, idest hac una hominis qualitate consideratum. At juris gentium praecepta sunt parentes colere, liberos alere et educare, conjugem adjuvare, magistratibus obedire, tributa Principi solvere, subditos ab injuriis defendere. Haec enim praecepta locum habere nequeunt, nisi homini addatur qualitas illa socialis majoris nempe vel minoris societatis, idest Filii, Parentis, Conjugis, Civis, Subditi, Regis. Jus igitur gentium non differt a jure naturae, nisi pro diversa subjecti qualitate. Ceterum habet eundem auctorem Deum, omnibus hominibus commune est, eodemque modo rectae rationis cognoscitur, et saepissime idem jus dicitur naturale, cum nempe jus naturae latiori sensu acceptum distinguitur a jure positivo.

Jus enim positivum est illud, quod vel a Deo ipso constitutum est, et per revelationem contentam aut in Scripturis, aut in Traditionibus manifestatur, et jus divinum positivum

dicitur ; *vel ab hominibus constituitur* , *et jus positivum humanum appellatur*. Jus itaque positivum seu divinum , seu humanum eos tantum obligat, quibus promulgatum fuit, non cunctos homines quemadmodum jus naturale, vel gentium.

Sacrae Scripturae veteris et novi Testamenti sunt alter Juris Canonici fons. Praecepta veteris Testamenti, quod Hebraeis solum fuit a Deo per Moysen promulgatum, eos tantum obligabant, et erant triplicis generis, Moralia, Judicialia, et Caeremonialia.

Praecepta moralia sunt ipsum jus naturale nova, solemniorique promulgatione in lapideis tabulis a Deo per Moysem Hebraeis traditum.

Judicialia sunt, quae Judaeorum politiam, seu res civiles dirigebant.

Caeremonialia demum cultum, sacrificia, sacrosque ritus ordinabant, ut Christi adventum plane designarent.

Moralia Christianos etiam obligant, cum ut diximus, sint ipsa Juris naturae praecepta : verum si quae temporalis poena indicta fuit in veteri testamento adversus legis naturalis violatorem, sanctionem poenae non ad naturalia praecepta, sed ad judicialia referre oportet.

Praecepta judicialia vim suam habere desierunt extincta Hebraeorum republica, qui jam omnes alieno parent imperio.

Caeremonialia etiam post Christi adventum abolita omnino sunt, cessare enim oportebat umbras, signa, et figuras adventu Christi, quem ut figurarent et significarent, ea praecepta tradita fuere : et si quaedam legis veteris praecepta in Pontificum Decretalibus inserta sunt ea servantur modo ut a Pontificibus jussa, novaque vi donata.

At praecepta novi Testamenti fideles solum obligant cum his tantum per Christum vel per Apostolos revelata sint, et ab Ecclesia promulgata : Cujusmodi sunt Baptismatis ablutio aqua, et certa verborum formula ut fiat : ut manuum impositione sacri ministri ordinentur : ut panis et vinum in Eucharistico sacrificio adhibeantur : ut fideles corpore, et sanguine Christi se reficiant.

Traditiones sunt praecepta non scripto, sed voce tradita, et quasi per manus ad nos usque constanter transmissa, licet deinde in scriptis Patrum, et actis Conciliorum fuerint conservata. Sunt autem vel divinae, vel mere apostolicae, vel ecclesiasticae.

Divinae Christum ipsum habent auctorem, differuntque ab aliis traditionibus origine, duratione, et constantia. Nam traditiones divinae sunt, et esse debent eaedem, semper constantes, et immutabiles; cujusmodi sunt illae, parvulos fidelium esse baptizandos: Baptismum ab Haereticis, et Schismaticis collatum non esse iterandum.

Apostolicae sunt, quae Apostolos habent auctores, non ut praecones Christi, sed ut Pastores Ecclesiae propria auctoritate quaedam decernentes. Ex his aliae temporaneae fuerunt, illarumque duratio brevis, et ad tempus fuit: quales illae de Baptismo in nomine Jesu conferendo, de abstinentia a sanguine, et suffocato. Aliae perpetuae utpote quae causam habuere sempiternam ut in Ecclesia servarentur: qualis illa de aqua permiscenda calici, de Baptismo certis ritibus ministrando.

Traditiones demum Ecclesiasticae sunt, quae initium sumunt a successoribus Apostolorum.

Nulla est potestas in terris, quae jus divinum positivum et scriptum seu traditum possit immutare; nemo enim potest tollere praeceptum, nisi qui eadem vel majori pollet auctoritate ac auctor illius praecepti: verum Ecclesia potestatem habet declarandi, seu interpretandi jus divinum.

Romanorum Pontificum Constitutiones sunt tertius juris Canonici fons. Cum enim supremo jure illi gaudeant regendi universalem Ecclesiam, primae eorum partes esse debent in legibus ecclesiasticis ferendis et ordinandis.

Pontificum Constitutiones, aliae sunt generales, universam nempe Ecclesiam afficientes; hujusmodi sunt Constitutiones aliquod fidei dogma definientes, vel disciplinam universalem statuentes; aliae sunt particulares, quae scilicet pro aliqua natione, regno, vel provincia formatae eorum fines non egrediuntur. Utrumque legum genus vocari solet Decretorum, Epistolarum Decretalium, Bullarum, Brevium.

Decreta sunt quae Papa motu proprio sive solus, sive Cardinalium consilio statuit.

Decretales epistolae sunt, quibus Papa ab Episcopis vel privatis consultus rescribendo aliquid constituit.

Bullae sunt Epistolae Pontificiae literis Longobardicis, seu Teutonicis conscriptae in Cancellaria, seu Dataria, sigilloque aureo, vel plumbeo munitae, a quo nomen Bullae acceperunt; scriptoribus enim inferioris aevi bulla idem fuit ac sigillum.

Brevia sunt etiam Epistolae Pontificiae literis Italis, seu communibus in Secretaria Brevium conscriptae, sigilloque rubrao cerae munitae, quod D. Petrum exhibet in actu piscationis.

Quartum Juris Canonici fontem efficiunt Concilia, quae sunt publica Ecclesiae comitia legitime convocata, ac celebrata, ut in iis de rebus ad fidem, mores, vel disciplinam spectantibus agatur, vel quod verum justum ac salutare est, decernatur.

Duo sunt genera Conciliorum, quaedam *generalia* seu *oecumenica*, quaedam *particularia. Generalia* sunt ea ad quae, Romano Pontifice indicente, atque per se, vel per suos legatos praesidente, totius orbis Catholici Episcopi vocantur.

Concilia *particularia* sunt vel *nationalia* ad quae scilicet omnes unius nationis Episcopi vocantur, praesidente Patriarcha, vel Primate illius nationis; vel *Provincialia*, quibus intersunt Episcopi unius Provinciae, sub suo Metropolita; vel *Dioecesana* quae Episcopus cum suae Dioecesis Presbyteris curam animarum habentibus, sive Regularibus, sive saecularibus celebrat; et vel agendum sit de reformatione morum, vel de rebus ad universum Clerum spectantibus, vel de publicationo Decretorum Synodi provincialis, conveniro debent omnes Dioecesis Presbyteri, et Clerici.

Quia vero Conciliorum statuta eos obligant, qui illis subduntur: facile patet Constitutionibus Conciliorum generalium omnes Fideles obligari: Nationalium eos tantum, qui sunt illius nationis; Provincialium eos qui sunt illius Provinciae; Dioecesanorum eos qui sunt illius Dioecesis.

Ultimus denique Juris Canonici fons sunt Patrum sententiae. Appellantur SS. Patres, pii illi, doctique viri, qui praesertim usque ad XII. Ecclesiae saeculum res divinas scriptis illustrarunt, quorumque opera ab Ecclesia commendata sunt. Verum quoniam SS. Patres nullam habuerunt potestatem ferendi leges (haec enim nascitur jurisdictione, non ex doctrina et pietate) sed tantum doctores fuerunt; sequitur Patrum sententias, nisi publica auctoritate libris Juris insertao sint ut in Decretalibus Gregorii IX. nullam legis vim habere.

Nemo tamen temere contemnat Patrum sententias: nam in negotiis per Canones et Decretales nondum definitis ad eas recurrendum esse decrevit Leo IV. relatus a Gratiano in Canone 1. Dist. 20.

Hactenus de Juris Canonici fontibus: Pauca nunc de ejus divisionibus.

Plures dari solent Juris Canonici divisiones; ex. gr. in jus divinum, quod Deum habet auctorem, et humanum, quod conditum est ab ipsis Ecclesiae Pastoribus, idest Romano Pontifice, et Episcopis.

Dividitur etiam in generale, seu universale, quod scilicet vim legis habet in universa Ecclesia, et particulare, quod obligat solum homines alicujus nationis, provinciae vel ecclesiae.

Sed maxime dividitur in *jus scriptum* et *non scriptum*. Jus scriptum quod proprie dicitur *Lex* est illud, quod expressa Legislatoris voluntate sancitur, et plerumque scripto exaratur.

Jus non scriptum, quod proprie dicitur *consuetudo* est illud quod moribus Christianorum cum animo se obligandi inducitur, vimque legis habet Ecclesiastici legislatoris tolerantia, licet postea scripto demandetur.

Ad jus Canonicum scriptum pertinent leges quae sunt in sacris libris veteris et novi Testamenti, Canones Conciliorum, Summorum Pontificum Constitutiones.

Jus scriptum, seu lex non ante obligare incipit, quam sit promulgatum: est enim actuum humanorum regula, quae proponi debet, cum ad incognitum nemo teneatur.

Jus non scriptum, ut obligandi vim habeat, hae conditiones requiruntur. 1. Ut consuetudo sit secundum rationem, idest neque Juri divino positivo, neque naturali repugnet; irrationabilis enim censenda esset ea consuetudo, quae gravitati Ecclesiasticae disciplinae adversaretur. 2. Necessaria est actuum frequentia. 3. Temporis diuturnitas, utriusque rei judicium, an nempe in casibus particularibus sit actuum frequentia et temporis diuturnitas, relinquitur prudentis judicis arbitrio definiendum. 4. Demum oportet ut legislator animadvertat ad consuetudinem, neque illam lata lege expresse revocet. Hac de causa non legitima consuetudo, sed abusus est, quod reclamantibus continuo legibus, usu introducitur.

Ad jus non scriptum nonnulli referunt traditiones, idest generales quasdam consuetudines semper in Ecclesia observatas, quae ab Apostolis traditae censentur, si incognita est earum origo. Hujusmodi sunt illae, ut die Dominico

ob memoriam Dominicae Resurrectionis oremus stantes, et ne jejunemus. At cum Traditiones sint praecepta voce tradita, et usque ad nos usu transmissa, convenientius eas ad jus scriptum referemus.

Quod spectat Juris Canonici objectum sciendum est in omni jure haec duo spectari posse. 1. Jus ipsum constituens; idest quaenam sit vis, origo, auctor, genus legum. 2. Jus constitutum; idest id quod a legibus constituitur.

Hactenus loquuti sumus de Jure Canonico constituente; spectavimus enim originem, auctores, vim, et diversa genera legum Canonicarum. Agendum in posterum est de jure constituto, idest de eo quod per leges Canonicas sancitum est.

Id omne quod lege canonica sancitur versatur super personis, rebus et judiciis Ecclesiae. Tria igitur sunt Juris Canonici objecta; de personis in hoc primo libro; de rebus in secundo; de judiciis in tertio agemus.

LIBER PRIMUS.

DE PERSONIS.

TITULUS I.

DE PERSONARUM JURE ET DIVISIONE.

Personae quas jus canonicum respicit, sunt eae, quae Ecclesiam ingressae sunt, ejusque subjiciuntur potestati. Sunt igitur solum Christiani, hi nempe, qui Baptismi receptione Christi fidem professi sunt, Ecclesiaeque membra evaserunt. Prima et maxima generalis divisio Christianorum est in Clericos, qui praesunt, et in laicos qui subsunt.

De monachis seu regularibus quaeritur, num ii aliud efficiant in jure canonico genus personarum a clericis et laicis distinctum. Quaestio facile definietur si certa utamur distinctione. Constat enim illos, quatenus *regulares* sunt, et primaeva eorum institutio spectetur, nullo modo pertinere ad Ecclesiasticam hierarchiam sive ordinis sive jurisdictionis, ideoque non inter clericos, sed inter laicos esse referendos. Nam ex fidelibus alii Christianam profitentur religionem, sed ad vitam perfectam non contendunt, et hi di-

cuntur *saeculares* sive clerici, sive laici sint: alii vero ad justitiam et Evangelica praecepta vitam addunt rigidiorem, evangelica scilicet consilia paupertatis, castitatis et obedientiae sub certa regula observantes, et hi dicuntur *regulares*, seu clerici sint, seu laici.

At certum quoque est regulares posse nunc clericis accenseri, tum quia sacerdotium, quo ante carebant, fuit illis concessum, unde clericorum nomine nunc et illi intelliguntur, can. *Monachos* 29. causa 16. quaest. 1., tum quia etsi clerici non sint, sed tantum ut ajunt, *Laici professi*; tamen fruuntur clericalibus privilegiis praesertim fori, et canonis, cap. *Non dubium* 5. *de sententia excommunicationis*.

/ et debere

Quamvis clerici omnes divino ministerio mancipentur; tamen quidam ex iis sunt inferioris ordinis ac gradus, quidam superioris. Clerici superioris ordinis sunt Episcopi, Presbyteri, et Diaconi. Reliqui clerici, idest Subdiaconi, Acolythi, Exorcistae, Lectores, Ostiarii sunt inferioris gradus.

Episcopi sunt ex divina institutione: nam ut sacra Scriptura docet Act. cap. 20. » Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. »

Sacerdotium etiam fuit a Christo Domino immediate institutum.

Diaconos potestate a Christo recepta Apostoli instituerunt. Cum enim Jerosolymis multi ex Judaeis ad Christum conversi essent, pluresque in diem converterentur, et Apostoli verbi Dei praedicationi intenti, alia Ecclesiastica munera obire non possent, elegerunt septem Diaconos, qui altari ministrarent et rerum ecclesiasticarum curam gererent. Act. cap. 6.

De reliquis ordinibus etsi Theologi et Canonistae non omnes inter se conveniant, num illi minores gradus sint divinae institutionis: tamen certum est, eos antiquissimos esse in Ecclesia, omnesque in Diaconatu contineri. Et sane cum diaconi omnia Ecclesiastica munera soli peragere non possent, videntur ex diaconorum officio quaedam veluti portiones decerptae fuisse, quae separatim singulis illis minoribus gradibus attribuerentur.

Fuerunt etiam antiquitus quaedam clericorum genera, qui certa munera obire debebant, ex. gr. clerici notarii, qui acta martyrum describebant, secretarii, qui in sacrario pontifici assistebant, mansionarii, qui curabant sacras aedes, thesaurarii Ecclesiae etc.: verum licet haec officia a

solis clericis peragerentur; tamen non constituebant gradus, seu ordines ab iis distinctos, quos antè posuimus: nullo enim certo, solemnique ritu ea munera conferebantur: at *ordo est officium ecclesiasticum, ad quod solemni mystico ritu aliquis inauguratur.* Patet igitur ex dictis, clericos esse fideles, qui divino servitio addicuntur, id quod fiebat antiquitus per collationem alicujus ex illis ordinibus licet minimi. Unde nemo poterat esse clericus, quin aliquo ordine insigniretur; at in recentiori disciplina fideles divino servitio mancipantur, et clerici fiunt per primam tonsuram, nullo vel ordine collato.

TITULUS II.

DE CLERICIS PRIMAE TONSURAE.

Prima tonsura est *exterior quidam ritus, seu caeremonia ecclesiastica, qua fidelis jam confirmatus per tonsionem capillorum, vestisque clericalis traditionem divino servitio addicitur in ecclesiasticis ministeriis, et ad minores ordines suscipiendos disponitur.*

Ex hac definitione sequitur 1. neminem esse prima tonsura donandum, quin ante fuerit confirmatus. Oportet enim ut fidelis antequam fiat clericus, sit perfecte Christianus, quod fit confirmationis sacramento.

2. Dandam iis, quibus animus est Deo et Ecclesiae serviendi in muneribus Ecclesiasticis; negandam vero iis qui eam petunt animo solo gaudendi clericorum privilegiis, ecclesiasticisque redditibus.

3. Primam tonsuram non esse ordinem; nulla enim spiritualis potestas, vel peculiare munus ecclesiasticum clericis tonsuratis committitur: vere tamen esse dispositionem ad ordines. Cuinam enim melius ordines dari queunt, quam ei qui se jam divino servitio mancipavit?

4. Fidelem per primam tonsuram relatum inter clericos, eos nempe qui praesunt, fieri capacem sacrae jurisdictionis habendae, idest ut, accedente delegatione, vel sacro magistratu, possit exercere ecclesiasticam jurisdictionem.

5. Demum sequitur tonsuram satis esse, ut gaudeat privilegiis clericorum.

Tria sunt potiora clericorum privilegia: primum est, ut quicumque in clericum violentas manus injiciat, ipso

facto excommunicationem majorem incurrat, a qua nemo, nisi Romanus Pontifex, eum potest absolvere excepto mortis articulo. Hcc privilegium dicitur *Canonis*, quia statuitur in canone Lateranensis Concilii oecumenici celebrati anno 1139., qui refertur a Gratiano in Cap. *Si quis suadente* 29. caus. 17. quaest. 4.

Alterum privilegium, quod *fori* appellatur, in eo est positum, ut clerici neque in civilibus causis, neque in criminalibus apud judicem laicum possint conveniri (cap. 2. *De foro competente*).

Tertium privilegium, quod *exemptionis* dicitur, clericos eximit a solutione vectigalium, aliorumque onerum a Laico principe impositorum, et intelligi debet juxta decretum Concilii Lateranensis relatum in Cap. 4. *De Immunitate.*

Clerici qui clericalem vestem, aut Ecclesiae servitium dimiserint, aut fuerint bigami, omnia ea privilegia amittunt.

At si unam tantum uxorem, eamque virginem acceperint primo privilegio certissime gaudent; secundum in causis tum civilibus tum criminalibus retinent ex sententia S. Congreg. de immunitate, quamvis alii doctores innixi cap. unic. *De clericis conjugatis* in 6. illud concedunt solum in criminalibus: tertium privilegium amittunt.

TITULUS III.

DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM.

Nihil est (ait Trid. Conc. sess. 22. de ref. cap. 1.) quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt. Quapropter sic decet omnino clericos vitam, moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil nisi grave moderatum ac religione plenum praeseferant, levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem.

Ut igitur clerici tales sint, quaedam iis praescribuntur circa externum corporis cultum; quaedam vero circa totam eorum vitam agendi rationem.

Ad externum corporis cultum pertinet lex tonsurae, idest ut Clerici derasum habeant capitis verticem et capillos in circuitu tonsos, et altera lex vestis clericalis deferendae. (Clement. *Quoniam* 2. h. t.)

Utraque lex quamvis sit antiquissima haud tamen extitit in primitiva Ecclesia; neque enim par fuit ut prioribus saeculis rasum clerici gestarent summum caput, vel uterentur habitu a laicis distincto, ne persecutionibus maxime saevientibus in Christianos tyrannorum odio ipsi se proderent, et objicerent. At cessatis jampridem iis causis, Clerici saeculo VI. monachos aemulati, ab iis acceperunt capitis tonsuram, quae humilitatis et modestiae tacita esset significatio: eodemque saeculo uti coeperunt habitu a laicis distincto, quia tunc temporis togam Romanorum, quae vestis erat usque ad talos extensa, ipsi retinuerunt; laici autem brevioris habitus formam a barbaris illatam adoptarunt.

Verum exploratum est, etiam prioribus illis quinque saeculis Ecclesiam sollicitam fuisse mandare clericis tum capilli brevioris modestiam tum habitus simplicitatem.

At multo plura sunt, et graviora, quae canones jubent de clericorum moribus, et vitae ratione. Et primum clericis interdicitur incontinentia, familiarisque, unde illa oritur, cum mulieribus consuetudo. Hinc ad Episcopi monitionem clerici tenentur e domo suae habitationis dimittere feminas, quae suspicionem non effugiunt, tum extraneas, ex. gr. ancillas (can. 29. dist. 81.) tum etiam interdum consanguineas (can. *Cum omnibus* 27. dist. 81.); exceptis tamen iis, quae conjunctae sunt usque ad secundum gradum. (cap. 9. *De cohabit. cleric. et mulier.*)

Crapula seu comissatio, et ebrietas clericis prohibetur, quod ea exitium mentis inducit, et libidinis provocat vim. Quare in clericum qui monitus ab eo vitio se non emendat, superior poena suspensionis animadvertit (cap. 14. h. t.): non decet etiam clericos ad tabernas divertere, nisi causa itineris (cap. 15. h. t.).

Aleis et taxillis ludere, quoniam frequentissima est discordiarum aliorumque malorum occasio, jampridem legibus civilibus vetitum fuit. Quo magis igitur id clericis debet interdici? (cap. eod.).

Prohibentur etiam clerici venationem exercere, canes vel accipitres ad eam exercendam alere (cap. 2. *De clerico venatore*). Obtinuit tamen consuetudo ut ea tantum venatio, quae cum strepitu canum, multitudine magnoque apparatu exercetur, clericis probibeatur. (Glossae in cap. 1. ej. tit.)

Armorum delatio clericis pariter interdicta est nisi justa de causa excusentur. Multo minus possunt in acie dimicare, nisi bellum sit defensivum, et Laici pares non sint hosti repellendo. (Can. *Si quis* 4. dist. 51.) Vetantur etiam Clerici quasdam exercere artes, quibus membra inciduntur, vel aduruntur, quemadmodum chirurgia (cap. *Sententiam* 9. *Ne clerici vel monachi*); itemque viles artes ex. gr. cauponis, lanionis (Clem. 1. h. t.). Sacris etiam canonibus adversatur, clericos in scena ludere, mimos et comoedos agere, larvis incedere et hujus generis alia (cap. un. in 6.). Praeterea licita quaedam et honesta negotia clericis interdicuntur, ne a rebus divinis abstrahantur. Idcirco nequeunt obire munera vicecomitis, gubernatoris, et notarii a principe saeculari delata (can. 4. et 5. *Ne clerici vel monachi*). Munera etiam advocati, procuratoris coram judicibus laicis, et in saecularibus negotiis, eamdem ob causam clericis probibentur, nisi causas agant suae Ecclesiae, pupillorum, viduarum, aliarumque miserabilium personarum. Similiter officio tutoris et curatoris clerici excusantur. Et quidem Episcopi vel Monachi omnino esse nequeunt: Presbyteri vero, ceterique clerici munus illud jure cognationis suscipere permittuntur, cogi non possunt (Nov. 123. c. 3.).

Neque licet clericis famulatui personarum laicarum sese addicere, vel alicujus familiae administrationem suscipere (cap. *Sacerdotibus* 2. *ne clerici etc.*); at iis licet puerorum magisterium.

Postremo eamdem ob caussam idest ne saecularibus negotiis se implicent, qui Deo militant, prohibentur clerici praedia aliena conducere quaestus causa, et mercaturam exercere qua scilicet res emitur, ut ea immutata alio loco vel tempore carius vendatur: verum si clericus in re sua negotietur, aut victum et vestitum sibi comparet agricultura, vel artificio aliquo absque officii sui detrimento, id legibus Ecclesiae non repugnat. (Can. *Clerici* caus. 14. quaest. 4.)

Cum vero nil videatur Seminariis opportunius ut ab adolescentia clericalis vitae institutis assuescant clerici, atque in literis, pietate, et Ecclesiae muneribus exerceantur, Synodus Trid. sess. 23. can. 18. *de reform.* antiquissimum Seminariorum institutum prae oculis habens decrevit, ut in quavis metropolitana, aut cathedrali, aut majori Ecclesia seminaria instituerentur: atque si alii reditus deficerent,

veniam dedit Episcopis certa beneficia Seminario uniendi, atque ex omnibus beneficiis et ipsa Episcopali mensa partem redituum seu fructuum decerpendi, et Seminario applicandi.

TITULUS IV.

DE IIS QUI PROMOVERI NON POSSUNT, SEU DE IRREGULARITATIBUS.

Cum jam viderimus, qua vitae ratione clerici se gerant oportet, facilius modo intelligemus, cur Ecclesia a clericatu repellat eos, qui propter quaedam impedimenta, quibus detinentur satis suae expectationi facere non possunt. Hujusmodi impedimenta dicuntur irregularitates. Irregularitas est *canonicum impedimentum, quod vetat ne quis ordinetur, aut si jam ordinatus sit ne in susceptis ordinibus ministret.* Oritur autem vel ex delicto, vel ex defectu.

§. I.

De irregularitatibus ex delicto.

Irregularitatem ex delicto secundum praesentem Ecclesiae disciplinam, non quaevis delictorum genera, sed duo solum inducunt. 1. Ea delicta, quibus illa speciatim in jure addicta est, qua de causa irregularitas ex illis nascitur sive publica sint sive occulta. 2. Irregularitatem inducunt ea delicta quae infamiam irrogant seu juris seu facti: unde cum in iis delictis, si occulta sint, cesset infamia, cessat etiam irregularitas.

Prioris generis delicta sunt 1. homicidium, vel mutilatio membri quod in corpore distinctum habet officium, ut est oculus, manus, pes etc.; 2. iteratio baptismi: 3. violatio censurarum: 4. indigna ordinis receptio, vel administratio; 5. haeresis, vel apostasia a fide.

Quadruplex distinguitur homicidium: *voluntarium*, quod deliberata voluntate perpetratur: *casuale*, quod neque praevideri potuit nec debuit: *mixtum*, quod praevideri potuit et debuit, veluti si quis mandet aliquem solum verberari, et mandatarius illum occiderit, vel si praeceptor in puerum ita animadvertit, ut hic paucos post dies decedat: *necessarium*, quod quis ad defensionem vitae committit, *servato*, ut ajunt, *moderamine inculpatae tutelae.*

Cum igitur irregularitas nascatur ex homicidio ob ipsam delicti rationem, sequitur: 1. eam induci per homicidium voluntarium, sive facto proprio, sive jussu, sive consilio perpetratum: 2. induci etiam per homicidium mixtum: quamvis enim hoc homicidium sequatur praeter voluntatem, tamen culpa ejus fit, qui rei vel illicitae dedit operam, vel in re licita, et periculi plena necessariam non adhibuit diligentiam: 3. eam non induci per homicidium casuale: 4. neque per homicidium necessarium. Nulla enim vel in hoc, vel in illo homicidio est criminis ratio.

Iisdem regulis facile potest intelligi, quando per mutilationem membri inducatur irregularitas.

Alterum crimen speciatim adnexam habens irregularitatem est iteratio Baptismi scienter facta tam activa, quam passiva; scilicet irregularis fit rebaptizatus, rebaptizans, et qui iterationi baptismi palam ministerium impenderit: neque ab irregularitate excusatur qui levi dubio motus circa valorem prioris Baptismi, novum admisit, licet sub conditione collatum.

Tertium est violatio censurae, idest si quis scienter in loco interdicto celebret, vel cum sit excommunicatus majòri excommunicatione ausus fuerit ordinibus initiari, vel si excommunicatus, suspensus, aut interdictus ministret praesertim in ordine sacro.

Quartum est tum indigna ordinis ministratio, idest si quis ritu solemni ministret in majore ordine, quo caret: tum indigna ordinum receptio, ex. gr. si quis illos suscipit furtive ab Episcopo suo.

Quintum denique est haeresis vel apostasia a fide (Can. 2. §. 2. *de haeret.* in 6.) Haec irregularitas permanet licet haereticus se cum Ecclesia reconciliaverit: et solum ex pietate quadam ei permittitur in ordine ante suscepto ministrare; (Can. 21. causa 1. quaest. 7.) imo haec irregularitas saltem quoad beneficia, afficit etiam filios et nepotes patris haeretici, et filios tantum matris haereticae, dummodo parentes in haeresi decesserint.

Delicta alterius generis ex quibus nascitur irregularitas, diximus esse ea omnia, quae infamiam irrogant seu facti, seu juris.

Infamia est *privatio, vel diminutio bonae famae, idest publica et sinistra opinio, per quam fama et existimatio hominis apud viros prudentes graviter laeditur.*



Duplex distinguitur infamia facti scilicet et juris. *Infamiam facti* dicimus eam, *quam gravia delicta proprio auctori inurunt, cum satis notoria evaserunt, quin opus sit, ut ulla lex, vel ullus judex hominem ea patrantem declaret infamem.* Hanc infamiam ex. gr. patitur, qui notorie accedit domum meretriciam. Ea tollitur per notoriam morum emendationem.

Juris infamiam is patitur, *qui crimen in jure confessus fuerit, aut rite damnatus.* Cum enim ex praesenti disciplina exceptis criminibus ante explicatis cetera crimina irregularitatem pariant, si publica sint, non occulta: certe omnia crimina, quibus superveniet infamia vel facti, vel juris, publica et manifesta esse debent.

Juris infamia non tollitur, nisi per apostolicam dispensationem vel purgationem canonicam.

§. II.

De irregularitatibus ex defectu.

Alterum genus irregularitatis oriri diximus ex defectu, cujus plurimae species enumerantur.

Prima est ex defectu animi, quae nascitur 1. ex defectu usus rationis, ut in infantibus, dementibus, furiosis, energumenis: 2. ex defectu scientiae pro ordinibus requisitae: 3. ex defectu fidei in parentibus, et hujusmodi est irregularitas in filiis haereticorum ut paulo supra diximus: 4. ex defectu fidei obfirmatae, ut in Neophitis, idest adultis ad fidem recens conversis a Paganismo, aut Judaismo.

Altera est ex defectu corporis, scilicet ex tali corporis vitio, propter quod munera Ecclesiastica aliquis vel omnino exercere non possit vel minus graviter, et decore. Hac de caussa irregulares sunt 1. Muti, surdi, et caeci. 2. Qui oculo carent sinistro ob indecoram vultus conversionem. 3. Epileptici. 4. Ermaphroditae, et qui sponte sua nulla cogente necessitate, virilia sibi inciderunt. 5. Qui vel manus habent amputatas, vel carent digitis pollice et indice, non autem si carent digitis aliis, nisi id eorum culpa evenerit. 6. Abstemi qui sic abhorrent a vino, ut ad vomitum provocentur, eademque ratione, qui tremulas habent manus, ut facile calicem possint effundere. 7. Demum, qui corpore sic deformes sunt, ut ad risum et contemptum moveant: cujus deformitatis judicium Episcopi prudentiae relinquitur.

Tertia est ex defectu natalium, quam patiuntur illegitimi omnes, idest extra nuptias nati, vel etiam nati ex legitimis conjugibus, postquam ii mutuo consensu castitatem erant professi. (Can. *Literas* 14. *de filiis Presbyterorum.*)

Haec irregularitas tollitur legitimatione, quae fit per rescriptum summi Pontificis; vel per professionem religiosam, nisi agatur de praelaturis sive saecularibus, sive regularibus; vel per subsequens matrimonium: tollitur secundo dispensatione, quam Papa solus pro sacris ordinibus, beneficiis curatis, et dignitatibus capitulorum impartitur; Episcopus autem pro prima tonsura, minoribus ordinibus, et beneficiis simplicibus.

Quarta est ex defectu libertatis, qua tenentur 1. Servi, illi scilicet, qui ex jure gentium subeunt servitutem. Cum enim ii servitio domini sint mancipati, non possunt sacris Ecclesiae ministeriis inservire, quin dominorum jura laederentur: at rite ordinantur, si manumissi fuerint, vel si dominus eorum ordinationi consenserit.

2. Tenentur ii omnes, qui ex munere publico obligantur suae administrationis reddere rationes, nisi illud munus ante deponant, redditisque rationibus, ab iis fuerint absoluti: cujusmodi sunt tutores, curatores, syndici universitatum.

3. Conjugati, qui ordinari nequeunt, nisi uxores consentiant eaeque religionem profiteantur, vel saltem castitatis perpetuo servandae votum emittant, approbante Episcopo.

4. Monachi, seu regulares professi, nisi superioris, cujus voluntati sunt obnoxii, consensus accedat.

Quinta est ex defectu aetatis, quam sacri canones requirunt ad tonsuram et ordines ecclesiasticos, vel beneficia assequenda. Si quis ante legitimam aetatem promotus fuerit ad majores ordines; ipso facto suspenditur tum ipse promotus, tum Episcopus, qui eum scienter ordinaverit.

Sexta irregularitas est ex defectu sacramenti, idest ex bigamia, quae triplex est, *vera*, *interpretativa*, et *similitudinaria.*

Vera est, quando quis duplex matrimonium licet successive contraxit, et utrumque consummavit.

Interpretativa est, quando quis ducit uxorem viduam, eamque jam a suo marito priore agnitam, et ipse agnoscit; aut mulierem ab alio fornicarie corruptam; aut virginem quae antequam a viro suo cognosceretur, ab altero corrupta

est, et matrimonium in utroque casu consummat; aut si quis duplex inierit conjugium utrumque ex impedimento dirimento invalidum.

Similitudinaria vero est si quis sacro ordine, aut solemni voto castitatis obstrictus audeat matrimonium contrahere et consummare (Can. 14. causa 2. quaest. 1.). Si irregularitas sit ex polygamia similitudinaria dispensat Episcopus (cap. 1. et 4. *de Clericis conjugatis*). Si a vera vel interpretativa solus Romanus Pontifex.

Septima et ultima irregularitas est ex defectu lenitatis, quam is contrahit, qui voluntarie et proxime, licet juste, ad necem vel mutilationem hominis concurrit. Cum enim clerici ministri sint incruentae ac caelestis victimae, quae pro suis etiam interfectoribus oravit; maxime decet, eos mites esse ac mansuetos, et idcirco abstinere vel a justa et voluntaria proximi sui nece, vel mutilatione.

Multiplici modo potest aliquis concurrere ad necem vel mutilationem alterius.

1. *Positive* quod fit vel *physice* ut carnifex ejusque adjutores, vel *moraliter* idest, mandando, consulendo, adjuvando, consentiendo, ut advocatus, vel procurator accusatoris, testes, notarius, judex in causa criminali, et demum ipse accusator, nisi ipse expresse protestetur se vindictam seu poenam sanguinis non intendere, sed emendationem tantum vel remedium, ne in posterum similia patiatur. Qua protestatione adhibita licet clericis absque periculo irregularitatis reos delicti capitalis accusare (cap. *Praelatis* 2. *de hom.* in 6.).

2. *Negative* si scilicet homicidium, vel mutilatio sequatur ob negligentiam ejus, qui non ex charitate sola, sed ex officio, et justitia tenetur impedire.

Ceterum hanc irregularitatem non contrahit. 1. Qui non proxime sed remote ad homicidium vel mutilationem concurrit, ut qui in bello milites hortatur ad fortiter pugnandum, vel armorum artifex aut venditor nisi certo sciat, eum cui arma conficit, aut vendit, his usurum ad illud homicidium vel mutilationem.

2. Qui *non voluntarie*, sed necessario caedit, vel mutilat, ex. gr. moderatus suae vitae defensor adversus aggressorem, quemadmodum supra diximus.

3. Nec quivis eorum, quos ante diximus positive, negative, moraliter, vel physice ad homicidium vel mutila-

tionem concurrere, nisi revera mors, vel mutilatio fuerit sequuta.

4. Demum neque ii, in quibus nullus lenitatis defectus argui potest ex mutilatione, ut medici, et chirurgi, qui secundum artis suae regulas alicujus membri mutilationem consuluere, vel operati sunt.

Quod spectat ad irregularitatem sive ortam ex delicto, sive ex defectu, praeter id, quod de facultate dispensandi jam adnotavimus, tenendum est, irregularitates si oriuntur ex temporaneo defectu aetatis, libertatis, scientiae, ipsas per se extingui, cum primum cessaverit ipse defectus: sin oriantur ex vitio permanente, opus esse dispensatione: secundo hanc illi etiam esse necessariam, qui dubitat num certum actum commiserit, sed plane constet irregularitatem illi actui annexam esse, id quod dicitur dubium facti (cap. 12. *de homicidio*). Tertio dispensationem non requiri in dubio juris, nam irregularitas nulla contrahitur, nisi in casibus a jure statutis.

TITULUS V.

DE CLERICIS IN MINORIBUS ORDINIBUS CONSTITUTIS.

Quoniam singulis ordinibus tum minoribus, tum majoribus quaedam munera sunt tributa, clericique illis insigniti potestatem habent illa exercendi, haec certe explicemus oportet in hoc libro ubi agitur de jure personarum.

In Ecclesia Latina quatuor sunt minores ordines, ostiariatus, lectoratus, exorcistatus, acolythatus, quorum ordinum institutionem aeque ac subdiaconatus ab ipso Ecclesiae initio, scilicet ab Apostolorum tempore repetit Synodus Trid. sess. 23. cap. 17. *De Reformat.*

At Graeca Ecclesia licet usum habeat primae tonsurae, qua fideles Latinorum more ad ordines disponit, tamen ex iis minoribus ordinibus unum habet lectoratum. Ceterum Subdiaconatus graeco ritu collatus, acolythatum, et ostiariatum includit.

Ostiariorum officium est claudere et aperire templum Dei, omnia quae sunt intus et extra custodire, fideles recipere, excommunicatos et infideles ejicere, scilicet tempore sacrificii, non concionis, vel lectionis scripturae. Hac

de causa ostiarii, cum ordinantur, claves Ecclesiae ab Episcopo accipiunt.

Lectorum officinm est sacras Scripturas in Ecclesia recitare et explicare. Idcirco ei, qui lector ordinatur, sacra Biblia tradit Episcopus.

Exorcistarum officium est invocare nomen Domini super eos, qui ab immundis spiritibus vexantur, ut ab his liberentur: quare in sua ordinatione librum exorcismorum accipiunt ab Episcopo.

Acolythorum officium est urceolos deferre Subdiacono, cereos accendere ad missae sacrificium, ceroferarium deferre ad Evangelium; quare Acolythi cum ordinantur accipiunt ceroferarium cum cereo, et urceolos vacuos.

Antiquitus putant quidam scriptores necesse haud fuisse, ut omnes minores ordines singulis conferrentur, et potuisse aliquem ex. gr. ad Episcopatum promoveri qui Presbyterum, Diaconum et Lectorem ante egisset; sed hac quaestione omissa jamdudum disciplina invaluit ut gradatim de inferioribus ad superiores ordines clerici ascendant, nullusque ordo praetermitti possit. Quamobrem Synodus Trid. statuit sess. 23. cap. 11. et 17. *De Reformat.* 1. minores ordines, nisi aliud Episcopo magis expedire videatur, per temporum interstitia conferri oportere ut clericorum moribus et doctrina per illorum graduum exercitium et tempus probatis, ii qui digni reperiuntur possint ad altiorem gradum promoveri.

2. Minorum ordinum functiones in Ecclesia per clericos illis insignitos exerceri debere, ne inanis sit tam sancta eorum ordinum institutio.

3. Si minorum ordinum ministeriis exercendis clerici caelibes praesto non sint, suffici posse etiam conjugatos probatae vitae non bigamos, habitumque et tonsuram deferentes clericalem.

Ex hac nova disciplina sequitur, 1. ut qui uno ordine praetermisso alium superiorem acceperit ipso facto suspensionem incurrat: 2. ut idem nequeat ad alium qui sequitur ordinem promoveri, nisi antea suppleatur ordo praeteritus.

TITULUS VI.

DE CLERICIS QUI SUNT IN MAJORIBUS ORDINIBUS CONSTITUTI.

Cum ordo sacer is sit, *qui habet aliquem actum circa rem aliquam consecratam*, *quique speciali modo hominem Deo consecrat, et devovet*; merito inter sacros et majores ordines recensentur Subdiaconatus, Diaconatus, et Presbyteratus: nam sacerdos et diaconus habent actum circa corpus, et sanguinem Christi, et Subdiaconus circa vasa consecrata. Eorum singulis quotidianum divini officii pensum imponitur et praeterea continentiae lex ut ad saecularia vota nequeant amplius reverti.

Subdiaconatus quidem diu stetit in numero minorum ordinum in utraque Ecclesia latina et graeca, in qua etiam nunc talis habetur: nam subdiaconis graecis vetitum est sacra vasa deferre ad aram, et solum ea parant in mensa minori, quam vocant *propositionis*. At in Ecclesia latina omni dubitatione sublata pro sacro ordine est habitus, saltem a saeculo XII. Subdiaconorum officium est panem et vinum ad solemne sacrificium praeparare, calicem, et patenam ad aram deferre, diacono inservire, epistolam canere, linteum corporale, et linteola calicis, et purificationis abluere.

Diaconus graece, latine minister dicitur: est enim minister Episcopi vel Presbyteri sacra solemniter facientis. Diaconorum officium est assistere Sacerdoti vel Episcopo, eisque ministrare in omnibus, quae aguntur in sacramentis Christi, evangelium in missis solemnibus legere. Antiquitus etiam praedicabant, baptizabant, dispensabant laicis eucharistiam; quae duo postremo nunc diaconis licent solum vel deficientibus Presbyteris, vel ipsis licet praesto sint jubentibus; tamen ea facere nequeunt nisi ob aliquam necessitatem.

Presbyteri graece, latine seniores, prudentiae et gravitatis causa magis quam aetatis, ita appellantur: dicuntur etiam *Sacerdotes* a rebus sacris, quibus operantur. Duplex praecipua est eorum potestas, altera scilicet conficiendi corpus et sanguinem Christi, altera poenitentes reconciliandi in Sacramento poenitentiae. Verum hanc potestatem exercere nequeunt ex defectu jurisdictionis, nisi vel beneficium habeant parochiale, vel ab Episcopo examinati deputentur ad fidelium confessiones recipiendas: praeterea officium eo-

rum est praedicare, et baptizare, quibusdam rebus solemniter benedicere; omnia denique sacramenta praeter Confirmationem et Ordinem fidelibus administrare.

TITULUS VII.

COMMUNIA MAJORUM ET MINORUM ORDINUM ET PRIMAE TONSURAE.

Sive quis Clericatum per primam tonsuram, sive majores, minoresque ordines rite velit recipere, plura servari debent: 1. ut ea quis recipiat ab illo Episcopo, cui justa facultas sit ea dandi: 2. ut qui promovetur justum habeat titulum, quo ordinetur: 3. ut ea accipiat tempore legitimo: ut non modo aetatem, sed alias etiam qualitates habeat pro singulis ordinibus requisitas. Breviter de singulis.

§. I.

De proprio ordinationis Episcopo.

Nemo potest ordinari nisi a proprio Episcopo, idest ab eo cui est subditus: alienos enim subditos ordinare semper fuit vetitum Episcopis.

Antiquitus autem plane diversa erat ratio, qua quis uni subjiciebatur Episcopo, ut ab eo tantum ordinem posset recipere: tunc enim qui laicus erat, a quovis Episcopo poterat ordinari, qui certae Ecclesiae servitio adscriberetur, cui scilicet inserviebat in ordine suscepto.

Fiebat quidem ut cum laicus ex prima illa ordinatione, qua referebatur in Clerum particularis Ecclesiae servitio manciparetur, idcirco ejus Episcopo subjiceretur, et ab eo tantum reliquos ordines posset recipere. Sic res stetit donec Bonifacius VIII. cap. 3. *De temp. ordinationis* in 6. triplicem distinxit modum vel causam, qua quisque uni Episcopo ita subjiceretur, ut ab eo rite possit ordinari.

Causam nempe originis, beneficii, domicilii, quibus deinde accessit causa familiaritatis. Itaque proprius ordinationis Episcopus modo est Episcopus originis, seu nativitatis, vel beneficii, vel domicilii, vel familiaritatis juxta Bullam Innocentii XII. *Speculatores.*

Episcopus originis est is in cujus Dioecesi quis natus

est, non tamen ex accidenti, idest occasione itineris, officii, legationis suorum parentum; in hoc casu enim patris ~~origo~~ spectaretur. domicilium ecclum

Episcopus beneficii est is, in cujus Dioecesi quis beneficium jam habet sive curatum, sive simplex, sive liberae collationis, sive juris patronatus, sive ab Episcopo ordinante collatum, sive ab alio, ex. gr. a Papa, sive pingue sit, sive tenue, modo ejus reditus sacri patrimonii taxam adaequent Dioecesis vel originis si Beneficiarius in ea permaneat, vel beneficii, si ad eam suum transferat domicilium.

Cum igitur ob beneficium Ecclesiasticum, quod quis habet in aliqua Dioecesi, illius Episcopo subjiciatur, sequitur: 1. ut qui beneficia in diversis habet Dioecesibus, a quolibet illarum Episcopo queat ordinari: 2. ut nisi quis, praeter canonicam institutionem, vel collationem adeptus etiam fuerit beneficii possessionem, non possit ab Episcopo illius beneficii ordinari, licet is ad beneficium ei statim conferendum post ordinationem jus habeat ex lege fundationis, vel ex patroni praesentatione: 3. satis esse coadjutoriam cum futura successione, modo coadjutor ex ea percipiat, et jus habeat praebendam congruam, vivente coadjuto, percipiendi: 4. satis esse etiam commendam perpetuam, quae scilicet plenam dat beneficii Ecclesiastici administrationem, veroque Beneficiario titulari aequat Commendatarium: 5. satis tamen haud esse pensiones licet perpetuas et ecclesiasticas, idest super beneficiis a Papa impositas: 6. demum ut nullam pro suscipiendis ordinibus subjectionem afferant beneficia improprie dicta uti sunt cappellaniae laicales tam ad nutum mobiles, quam perpetuae, et mera officia licet ecclesiastica.

Episcopus domicilii est is, in cujus Dioecesi quis suum habet domicilium, quamvis in alia natus fuerit. Domicilium in eo loco quis habere dicitur, ubi larem, rerumque atque fortunarum suarum summam constituit; unde rursus non sit discessurus, si nihil avocet; unde cum sit profectus peregrinari videtur, quo si rediit, peregrinari jam destitit leg. 7. C. *de incolis.*

Ad acquirendum ~~igitur~~ domicilium requiritur omnino animus permanendi; si quis juret, hoc animo se in eo loco fuisse, ubi decem annos moratus sit cum aedibus instructis, domicilium acquisitum esse satis probatur. Hic animus

cum esse nequeat in iis, qui dumtaxat studiorum causa alicubi morantur, nullum ibi domicilium acquirunt, nec possunt ab Episcopo illius loci ordinari.

Episcopus denique ratione familiaritatis poterit ordinare familiarem suum, licet non subditum modo is per triennium non interpolatum cum eo commoratus fuerit, et beneficium, quacumque fraude cessante statim illi conferat, nisi ordinatus sufficiens patrimonium habeat.

Notetur autem quod in triennium computatur etiam tempus, quo aliquis fuit familiaris Episcopi ante adeptum episcopatum.

Notetur insuper quod Episcopus, qui Clerum et populum sibi subjectum non habet, familiarem suum ordinare non potest.

Cum igitur unusquisque a proprio tantum Episcopo ordinandus sit vel originis, vel beneficii, vel domicilii, vel familiaritatis, si quis ab alio praeter hos promotus fuerit, poena uterque mulctabitur, nempe Ordinans a collatione ordinum per annum, et Ordinatus a susceptorum ordinum exequutione quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, suspensus ipso facto est a Concilio Trid. cap. 8. sess. 23. *de ref.*

At si proprius Episcopus aliquo detineatur impedimento, ne ordines per se ipse conferat, det autem suo subdito literas seu Dimissorias seu Commendatitias is rite poterit ab alio Episcopo ordinari. Hae literae si nullam habent temporis definitionem durant perpetuo, licet morte, aut alio modo dantis potestas expiret, dummodo re integra non fuerint revocatae ab eo qui dedit, vel ejus successore.

Jus hactenus explicatum pertinet ad clericos saeculares; regularium proprius ordinationis Episcopus est Episcopus dioecesanus, illius nempe monasterii, in cujus familia regularis ordinandus positus fuit a suis superioribus absque ulla fraude. Ad eum igitur Episcopum regularis ordinandus dirigi debet a suo superiore cum dimissoriis.

At si Episcopus dioecesanus abfuerit, vel ordinationes non sit habiturus, vel sedes episcopalis vacet, ad quemvis alium Episcopum dirigi potest regularis, ut ordinetur, nisi de industria ejus ordinatio dilata fuerit ad tempus, quo dioecesanus Episcopus vel abfuturus esset, vel nullas ordinationes habiturus: imo id probari debet authentico testimonio Vicarii generalis, vel Cancellarii, vel Secretarii Episcopi dioecesani. Si hoc testimonium desit, et Antistes re-

gularem ordinaverit, ipso facto incidit in poenas canonicas contra eos sancitas, qui alienum subditum dimissoriis destitutum ordinaverint; regularis autem a quovis Episcopo ordinetur debet ab eo examinari circa doctrinam (cap. 3. *de temporibus ordinationum* in 6.).

§. II.

De Titulo Ordinationis.

Addictio Clericorum certae Ecclesiae certoque ministerio, dato eis simul congruo certoque modo se substentandi *Titulus ordinationis* nuncupatur. Is ex nova disciplina multiplex est, praecipuus autem duplex nempe beneficii et patrimonii.

Titulus beneficii quamvis natus non sit ante beneficiorum originem tamen ejusdem ratio convenit omnino cum antiquissima Ecclesiae disciplina quae viguit antequam beneficia instituerentur. In ea enim Ecclesiarum reditus in communi administrabantur, neque aliquis poterat ad ordines promoveri, nisi alicujus Ecclesiae clero adscriberetur ut certum servitium ei praestaret, ejusque reditibus aleretur: deinde inducta sunt beneficia, in quibus cuilibet Ecclesiae vel altari certi propriique reditus assignantur, ut eos jure proprio percipiat Clericus illi speciatim inserviens et addictus. Igitur ut aliquis modo ordinetur, titulus beneficii requiritur, idest ejus addictio certae Ecclesiae cum onere illi inserviendi, et jure se substentandi ex ejusdem reditibus.

Facta beneficiorum divisione inventus est patrimonii titulus cujus primum saeculo XII. meminit Alexander III. in cap. *Episcopus* 4. *De Praebendis*; pluries enim contigit et potest etiam contingere, ut ob difficultatem beneficia consequendi, et ministrorum qui Ecclesiis inserviant necessitatem ordinandus sit, qui clericatu dignus, ob suam doctrinam morumque probitatem, se possit de propriis bonis sustentare; hic igitur patrimonii titulus tantum in subsidium est, si scilicet beneficium desit, et Ecclesiae utilitas expostulet illum Clericum ordinari. Quapropter sive quis ordinetur titulo beneficii, sive patrimonii, unica etiam nunc est ratio, ob quam aliquis ordinari possit, nempe *servitium Ecclesiae* quae certa erit si beneficio alatur Clericus, non tam determinata si patrimonio.

Sed absque titulo beneficii vel patrimonii nemo potest praesertim ad majores ordines promoveri; et si promoveatur debet Episcopus eundem alere donec beneficium obtineat. Praeterea nequit a Clerico beneficium cujus titulo ordinatus est dimitti, nisi aliunde is vivere possit.

Praeter explicatos ordinationis titulos, idest beneficium et patrimonium, est etiam unus vel alter, qui tamen in eumdem finem ac illi intendunt. Sic titulus, quo regulares rite professi ordinantur, est *sporta*, ut sanctus Antoninus ait par. 3. quaest. 14., idest religiosa paupertas. Verum is titulus valet solum pro illis religionibus, quarum alumni nequeunt a claustro exire, et ad saeculum reverti. Pro congregationibus igitur clericorum saecularium qui vel nullam professionem emittunt, vel ad certum tempus, speciali Romanorum Pontificum privilegio opus fuit, ut possent ordinari ad titulum mensae collegialis vel massae communis, vel missionum.

§. III.

De interstitiis, et tempore ordinationum.

Praeterea ut quis ordinetur rite servari etiam debet lex Interstitiorum et altera lex temporis ordinationum. Illa jubet inter singulorum ordinum susceptionem esse debere quoddam temporis spatium, quod recepto vocabulo *interstitium* dicimus, tum ut Clericus suscepti ordinis officium exerceat, tum ut aliquandiu sistens in inferiori probetur, antequam ad superiorem ordinem ascendat.

Quantum esse debeat interstitium inter unius et alterius minoris ordinis susceptionem, nulla lege est definitum: ab ultimo minorum ordinum gradu ad Subdiaconatum annus debet intercedere, idemque temporis spatium inter singulos ordines majores.

Verum Episcopo ita facultas est dispensandi clericos tam saeculares quam regulares a lege interstitiorum, ut uno die licite conferat alicui primam tonsuram, minoresque ordines; sed minime possit conferre minores ordines et subdiaconatum, vel duos sacros ordines uno die, aut duobus continuis. Si quis ab interstitiis dispensans hos limites praetergressus fuerit, ordinator a collatione ordinum, ordinatus ab exercitio suscepti ordinis suspendetur.

Quod spectat legem temporis ordinationum vigente disciplina cautum est, 1. ut prima tonsura quolibet anni die, et hora possit conferri. 2. Minores ordines licite conferantur quibusvis diebus dominicis, vel festis, etiam iis in quibus Sedis Apostolicae indulto sola est sacrum audiendi obligatio: sed iis diebus non poterit Episcopus eos conferre pluribus quam duobus. 3. Sacri ordines sabbatis quatuor temporum, sabbato ante Dominicam Passionis, et sabbato sancto tantum conferuntur. aut tribus aut quatuor

Iis autem sabbatis est tempus generalis ordinationis, in quo scilicet omnes ordines minores et majores conferuntur, nullus ordinandorum numerus praefinitur, et publicum ac solemne jejunium ab Ecclesia indicitur, ut optimi ministri et spirituales operarii a Deo concedantur.

§. IV.

De aetate, et qualitate Ordinandorum.

Denique ut rite omnino procedat ordinatio quaedam spectanda sunt in ipsis ordinandorum personis, idest aetas eorum et qualitas.

De ordinandorum aetate praesens disciplina jubet neminem posse prima tonsura multoque minus ordinibus minoribus initiari nisi infantiam saltem egressus fuerit; pro Subdiaconatu praescribit aetatem viginti et duorum annorum; pro Diaconatu viginti et trium; pro Presbyteratu viginti et quinque. Ut satis autem est incoeptum fuisse annum, sic impedimento est unius horae, aut diei defectus, et qui ante hoc tempus promoveri patiatur, suspensus est ipso jure, et fit irregularis si ministraverit in ordine suscepto. (Constit. S. Pii V. *Cum sacrorum*).

Nomine qualitatis ordinandorum maxime venit scientia, et pietas. Et quidem prima tonsura initiari nequeunt qui fidei rudimenta edocti non fuerint, et legere, ac scribere nesciant (Conc.Trid. sess. 23. cap. 4. *De ref.*). Minores ordines negandi sunt iis qui saltem latinam linguam non intelligunt (ibidem cap. 11.). Subdiaconi et Diaconi debent esse literis et iis quae ad exercendum ordinem pertinent instructi (ibidem cap. 13.). Ad presbyteratum adsumendi ea debent esse scientia ut idonei sint ad populum edocendum ea quae scire omnibus necessarium est ad salutem, et ad administranda sacramenta (ibidem cap. 14.).

De moribus et pietate promovendorum jubet idem Concilium tonsurandos tales esse de quibus probabilis conjectura sit eos non saecularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum praestent, hoc vitae genus elegisse (ibidem cap. 4.).

Minoribus ordinibus eos dignos esse decernit, quos et bonorum operum exemplum, et assiduum in Ecclesia ministerium, et major erga Presbyteros et superiores ordines reverentia, et crebrior quam antea corporis Christi communio maxime commendant (ibidem cap. 11.).

Subdiaconatu, et Diaconatu initiandos esse vult, qui jam in minoribus ordinibus sint probati. Presbyteratu demum qui ita pietate et castis moribus sunt conspicui, ut praeclarum bonorum operum exemplum, et vitae monita ab eis possint expectari (ibid. c. 14.).

Itaque ut juxta haec modo exposita, omnes irregularitatis defectus de Ordinandis detegantur, tria solent ordinationem praecedere, proclamationes, scrutinium, et examen.

Proclamationis disciplina antiquissima est, et hodie pro sacris ordinibus omnino necessaria (Trid. sess. 23. cap. 5.); scilicet ordinandorum nomina proclamanda sunt in Ecclesia, ut si quae sint demerita fraudes et canonica impedimenta qui ea cognoverit significare debeat Episcopo.

Examen quo doctrina, *scrutinium* vero quo ceterae qualitates ordinandorum investigantur, maxime jubentur illis Apostoli verbis *manus ne cito imponas*; et saepissime Ecclesiasticis constitutionibus inculcantur. Decrevit igitur Trid. Synodus, ut Episcopus, peritis etiam viris sibi adscitis ante ordinationem diligenter investiget, et examinet Ordinandorum genus, personam, aetatem, institutionem, mores, doctrinam, fidem etc. (ibid. cap. 7.).

TITULUS VIII.

DE EPISCOPIS.

Quoniam in Ecclesia Catholica est Hierarchia divina ordinatione instituta, quae constat ex Episcopis, Presbyteris, et Ministris, quemadmodum Trid. Synodus definivit Can. 6. sess. 23.; cum satis jam dixerimus de Presbyteris, et Ministris, de Episcopis modo agendum est.

Episcopatus est ordo praeditus spirituali potestate cum

regendi, *tum propagandi*, *et perpetuandi sacris ordinationibus Ecclesiam Dei.* Haec potestas recepto vocabulo dicitur *potestas ordinis*; illa dicitur *potestas jurisdictionis.*

§. I.

De potestate ordinis Episcopali.

Utraque inest in Episcopatu; verum potestas ordinis est immobilis, indelebilis et personalis, scilicet nemini delegabilis, quemadmodum est in ceteris gradibus Ecclesiasticae Hierarchiae puta in Presbyteris. Igitur eam potestatem ita retinet Episcopus licet haereticus, excommunicatus, depositus, ut si restituatur non iterum consecretur. Et quoniam de fide constat, divinitus hanc potestatem esse Episcopis, deesse Presbyteris; certum etiam de fide est, Episcopos jure divino esse Presbyteris superiores saltem in ea potestate. Vid. Gonet Manual. Thomist. tom.6. tract.5. *de sacrament. Ord.* cap. 5. Petavium tom. 4. *de Ecclesiast. Hier.*

Ad hanc ordinis potestatem pertinet administratio sacramenti Ordinis, ac Confirmationis; et quoniam haec sacramenta a solo Episcopo possunt conferri, cetera autem etiam a Presbyteris, recte in Episcopatu dicitur esse *plenitudo Sacerdotii.*

Pertinet etiam ad eam consecratio altarium, et Ecclesiarum; olei infirmorum, et cathecumenorum, et chrismatis; calicum, et patenarum benedictio, sacrarumque vestium sacerdotalium; Abbatum et Abbatissarum, Regum et Reginarum; sacrae virginum sanctimonialium velationes, et benedictio major seu solemnis.

§. II.

De potestate jurisdictionis Episcopali.

Altera Episcopatus potestas, quae dicitur *jurisdictionis*, spectat ad externam Dioecesis politiam seu administrationem: praecipuae partes hujus potestatis sunt docere, jubere, judicare, corripere, et administrare. Nam regiminis ecclesiastici natura, quod cuilibet Episcopo ut patri et capiti omnium Dioecesanorum demandatur, postulat quidem, ut is omnes eas habeat facultates.

Quoniam vero Episcopus potestatem jurisdictionis habet, non ad suam utilitatem et commodum, sed ad Ecclesiae regimen et aedificationem: sequitur ut Episcopi munera sint docero, jubere, judicaro, corrigere, et administrare, ita ut sui officii praevaricator sit nisi illis muneribus opportune fungatur.

Cum igitur primum Episcopi jus et officium sit docere res omnes, quae in salutem aeternam conducunt, sequitur 1. ut ad eum spectet verbi Dei praedicatio, idest omnium credendorum agendorumque institutio, et Cathecumenorum eruditio; id igitur Episcopus facere debet vel ipse per se, vel si legitimo impeditus fuerit per idoneos ministros a se eligendos.

Sequitur 2. ut nullus neque Diaconus, neque Presbyter, nec etiam Episcopus in aliena Dioecesi possit absque licentia proprii Episcopi praedicare, neque regularis in ipsa Ecclesia sui ordinis, nisi benedictionem ab Episcopo +acceperit, nec extra illam sine Episcopi licentia; imo nec in propria Ecclesia contradicente Episcopo.

Sequitur 3. quod licet Laicis ad instar jurispatronatus possit competere facultas eligendi concionatorem praesertim quadragesimalem, cui ipsi solvunt honorarium, tamen is ab Episcopo omnino probandus erit.

Secundum Episcoporum jus et officium est jubere, scilicet leges ferre de iis, quae populi mores ac fidem, et sacrorum ministrorum officia, sacrosque ritus dirigunt, nam positi sunt a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei, unde nemo salva fide potest illis jurisdictionem negare suas oves legibus obstringendi, quibus obtemperare coguntur.

Si lex episcopalis in Synodo facta est, perpetuam vim habet: sin extra Synodum, putant quidam illam statim a morte Episcopi legis auctoris expirare; negant alii nisi a successore expresse vel tacito revocetur: at prior sententia videtur esse communior. Jure igitur suo poterit Episcopus suis legibus vel edictis librum prohibere, quo vel jam ab Ecclesia proscripti errores, vel quaevis alia perversa doctrina continetur. Et quoniam prudentiae est omnem mali occasionem praeveniendo magis praecidere, jure Synodus Tridentina decrevit, nemini licere imprimero vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris sine nomine auctoris, neque illos vendere aut etiam apud se retinere, nisi ante examinati, probatique fuerint ab Ordinario sub poena ana-

+ petierit, quia ex Clementina [illegible], potest regularis, etiam non accepta benedictione, modo Episcopus non contradicit, in Ecclesiis sui ordinis praedicare.

thematis. Id quod etiam ad libros profanos extenditur in Bulla Leonis X. edita in Concilio Lateranensi anno 1512.

Jure item suo poterit Episcopus suis legibus, vel edictis publicas preces pro Ecclesiae necessitatibus, aliisque justis de causis orandi formulas minus pietati congruas abolere, vetare abusus qui forte irrepant in indulgentias, imagines sanctorum, reliquias, cultum Ecclesiarum, sacramentorum administrationem, missarum celebrationem; potest etiam exactam sacrorum canonum observantiam demandare, poenas augendo a jure communi inflictas; synodum Dioecesanam indicere etc.

Sed caveat Episcopus ne suis legibus definiat quaestiones ad fidei doctrinam spectantes et ab Ecclesia nondum definitas: nec tollat legem a Concilio generali, aut Romano Pontifice, aut Concilio provinciali latam, id enim semper ei est vetitum, solumque permittitur particularis illius legis dispensatio, cujus expresse legis conditor ipsi hanc facultatem dederit; neque deleat consuetudinem, quae cum vigeat in toto orbe naturam juris communis induerit, neque demum tollat festa in universa Ecclesia recepta, vel officii divini recitationem, et jejunia transferat. Haec enim omnia fieri solum possunt a Romano Pontifice cujus est in universam Ecclesiam auctoritas et potestas: secus fieret ingens disciplinae et Ecclesiasticae hierarchiae perturbatio.

Tertium Episcopi jus et officium est judicare, idest sive per semetipsum sive per alium tam ordinarium quam delegatum cognitorem arbitratu suo deligendum cognoscere et definire causas tum ecclesiasticas, quae scilicet fidem, mores, disciplinam, sacramenta, beneficia, et cetera respiciunt; tum eas quae mixti fori dicuntur, idest tam ad forum Ecclesiae, quam ad forum laicale spectantes, cujus generis sunt causae adulterii, perjurii, blasphemiae, ob Religionem simul et rempublicam iis criminibus violatam, tum causas sive civiles, sive criminales, in quibus clerici conveniuntur; tum demum causas omnes miserabilium personarum etiam pecuniarias, licet adversus laicos agant.

Quartum Episcopi officium et jus est corrigere et punire criminosos et contumaces, censuris, poenis canonicis, poenitentiis salutaribus, multis etiam pecuniariis in causis civilibus ad forum ecclesiasticum quomodocumque pertinentibus contra quoscumque etiam laicos.

Verum caveat Episcopus ne sibi eas multas applicet,

quae vel ab aliqua lege, seu statuto ita quibusdam criminibus imponuntur, ut illae in usus pios impendi statuantur, vel solo Episcopi arbitrio impositae taxantur: at eas multas quas ad certam quantitatem designant Canones, quin earum usum, et applicationem statuant, Episcopus sibi poterit applicare, si vere egeat; is tamen ut omnes scandalum et peccati periculum effugiat, prudentissime aget, sacram Congregationem Concilii consulendo antequam illa sibi applicet.

Quintum denique officium et jus Episcoporum est administrare quod positum est 1. in collatione beneficiorum omnium suae Dioecesis nisi Romano Pontifici sint reservata, et affecta, vel ad alterum legitimum collatorem spectent.

2. In suppressione, vel erectione, vel divisione, vel dismembratione beneficiorum dummodo haec fiant secundum regulas Canonicas.

3. In demandando quaevis alia munera vel officia Ecclesiastica.

4. In bonorum temporalium ad Ecclesias, vel loca pia pertinentium curatione, vel tuitione.

5. In curanda omnium piarum dispositionum exequutione sive illae per ultimam voluntatem, sive inter vivos sint ordinatae, et in paterna cura gerenda miserabilium personarum; ex. gr. viduarum, pupillorum.

6. Demum in orando, sacrificiumque pro suis ovibus offerendo, Sacramenta ministrando: id quod ipsi per se procurabant Episcopi; verum temporis progressu id muneris presbyteris demandarunt ob auctum fidelium numerum, sic tamen, ut illud nunquam ii possent obire, vel suo arbitrio vel contra Episcopi voluntatem.

§. III.

De exercitio potestatis ordinis et jurisdictionis.

Quaestio saepe incidit num Episcopus ubivis suam queat explicare potestatem in subditos. Haec quaestio facillime dirimitur distinguendo.

Quod spectat potestatem jurisdictionis, ea dividitur in voluntariam et contentiosam. Illa est quae exercetur in volentes, nullamque exigit judicii formam, ut est potestas

bona ecclesiastica dispensandi, peccatores reconciliandi, absolvendi a censuris etc.; haec igitur cum fiant sine contentione judicii, possunt ab Episcopo in suos subditos exerceri licet is sit extra Dioecesim.

Contentiosa est quae cum exerceatur in invitos, idest judicio contendentes, judicii formam omnino exigit. Ea igitur in suos subditos uti nequit Episcopus nisi in propria Dioecesi; actaque omnia judicialia quae in illos faceret extra Dioecesim absque Ordinarii licentia, irrita omnino essent.

Si tamen Episcopus fuerit a sua Dioecesi expulsus, poterit actus jurisdictionis etiam contentiosae in suos subditos explicare in aliena Dioecesi, petita solum, quamvis non obtenta, licentia Ordinarii.

Quod spectat potestatem ordinis quamvis ea sit instar voluntariae, non contentiosae jurisdictionis, tamen nequit Episcopus eam in suos subditos exercere in aliena Dioecesi in iis rebus, quae pontificalium usum requirunt absque Ordinarii licentia, ideo quod omnis pontificalium usus extra propriam Dioecesim interdicitur.

Num jurisdictionis potestatem Episcopus habeat jure divino, scilicet immediate a Deo, an humano, idest a Summo Pontifice, quaestio fuit in Trid. Concilio agitata, sed haud definita: qua de causa idem Concilium docens, Episcopos esse Presbyteris superiores anathemate inflicto adversus negantes, de industria abstinuit ab iis verbis *jure divino*, quae plures Episcopi, decreto adjungi postulabant.

Quamvis autem in ea quaestione possit quis unam magis, quam alteram amplecti sententiam, tamen is qui potestatem jurisdictionis jure divino competere defendet, certus esse debet, eam ita esse Romano Pontifici subjectam, ut hic jure suo possit justa de causa Episcopis eam potestatem vel prorsus adimere, vel ad tempus suspendere, vel quibusdam limitibus seu locorum, seu personarum, seu facultatum coercere. Id enim necessario exigit jurisdictionis primatus, Romano Pontifici competens jure divino super universam Ecclesiam. Qui vero episcopalem jurisdictionis potestatem a Romano Pontifice immediate repetet (quae sane sententia non modo conformior est rationibus Papae primatum in Ecclesia ostendentibus, sed etiam Scripturarum, et Traditionis testimoniis) tamen ne is putet, licere Romano Pontifici Episcoporum ordinem ab Ecclesia tollere, nam, ut ante vidimus, Episcoporum ordo est ex

divina institutione, esseque debet in Ecclesiastica hierarchia.

§. IV.

De Episcopali residentia, et visitatione.

Quae diximus de potestate et officiis Episcoporum, satis ea sunt, ut quivis statim agnoscat, quam grave onus sit Episcopatus. Ut igitur illud rite sustineant duo praesertim illis imponuntur, residentia in suis Dioecesibus, earumque visitatio.

De Residentia statuit idem Concilium sess. 6. c. 1. de Ref. ut Episcopi per sex menses continuos a sua Dioecesi absentes, nisi rationabilis causa eorum excuset absentiam, ipso jure amittant quartam partem fructuum unius anni, a superiore ecclesiastico in pios usus erogandam: si per alios sex menses abfuerint, similiter aliam quartam partem amittant; crescente contumacia vult eos accusari apud Romanum Pontificem a Metropolitano, hoc vero absente, a Suffraganeo seniore (sess. 23. cap. 1. De Ref.).

Docet etiam sess. 23. cap. 1. justam absentiae causam esse Christianam charitatem, urgentem necessitatem, debitam obedientiam, et evidentem Ecclesiae vel Reipublicae utilitatem.

Si qua vero alia causa praeter eas occurrat, licet Episcopo abesse per duos tantum, tresve menses, modo absentia non cadat in dies Adventus, Quadragesimae, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes et Corporis Christi.

Praeterea Episcopo imponitur, ut singulis saltem bienniis, totam Dioecesim visitet, vel ipse per se, vel si legitime fuerit impeditus per suum Vicarium Generalem, aut alium a se eligendum.

Visitationis scopus est sanam doctrinam bonosque mores tueri, errores et scandala tollere; quod ut facilius assequantur Episcopi, paterna charitate, et Christiano zelo in suas oves maxime uti debent in visitatione; atque in ea curare debent solum ea negotia quae manifesta sunt, et facile possunt remedium, non ea, quae vel longo indigent examine, vel solemnitate judicii sunt discutienda.

Visitatio alia est personalis, alia realis, alia localis. Personali subjiciuntur omnes Ecclesiastici saeculares, et re-

gulares, si modo curam animarum exerceant, Canonici Capitulorum exemptorum, ipsaque Capitula exempta, Collegia quaecumque, et Confraternitates Laicorum.

Visitationi reali subjiciuntur omnia beneficia etiam curata Monasteriis adnexa, piaeque omnes dispositiones sive per ultimam voluntatem, sive inter vivos ordinatae, non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili privilegio, aut statuto.

Visitationi locali subjiciuntur omnes Ecclesiae in Dioecesi etiam exemptae, et inferioribus Praelatis subjectae; imo et eae quae in nullius Dioecesi esse dicuntur, Monasteria omnia in quibus non viget regularis observantia; denique loca pia sive ecclesiastica sive laicalia.

TITULUS IX.

DE PRAELATIS INFERIORIBUS.

Triplex est horum Praelatorum genus; minimum est eorum, qui ita praesunt certo generi personarum intra septa Ecclesiae Conventus vel Monasterii, ut simul exempti sint a jurisdictione Episcopi. Hujusmodi sunt Superiores regulares et nonnulli clerici saeculares, qui cum sint ipsi Romano Pontifici subjecti praesunt etiam illi suis regularibus, isti alicui Ecclesiae, ejusque Clericis.

Alterum est eorum, qui jurisdictionem habent in Clerum et populum certi loci, qui locus licet sit exemptus a jurisdictione illius Episcopi, cujus Dioecesis illum undique circumdat, tamen est intra Dioecesim, et in Dioecesi ejusdem Episcopi, quin formet territorium ab ea separatum. Itaque eorum jurisdictio videtur magis esse personalis, quam localis, quia eam sic habent in personis illius loci, ut tamen is locus sit pars Dioecesis; minus igitur proprie hujus secundae classis praelati dicuntur *nullius Dioecesis.*

Tertium omnium nobilissimum est eorum qui jurisdictionem habent in Clerum, et populum alicujus oppidi, aut plurium oppidorum, quae tamen quia separata sunt a cujuslibet Episcopi Dioecesi, constituunt territorium separatum, quod dicitur quasi Dioecesis: nam Dioecesis nomen proprie significat territorium Episcopo subjectum. Itaque ii Praelati proprie *nullius Dioecesis* dicuntur, et vere sunt Ordinarii locorum, et exceptis iis quae Ordinis sunt, gaudent tota fere jurisdictione episcopali.

TITULUS X.

DE ELECTIONE, POSTULATIONE, CONFIRMATIONE, ET CONSECRATIONE EPISCOPORUM.

§. I.

De Electione.

Electio est idoneae personae ad Ecclesiae vacantis, aut personarum regimen canonice facta vocatio. Pertinet haec definitio ad electionem tum Episcoporum, quae maximam partem hujus tituli occupabit, tum etiam aliorum Praelatorum. In electione maxime considerari debet modus, locus, tempus electionis faciendae, persona eligentium, et eligendi.

Modus electionis est per inspirationem, per compromissum, et per scrutinium.

Electio fit per inspirationem, cum omnes electores nemine repugnante, in loco solito congregati, quasi divino spiritu ducti, in unum consentiunt (cap. 42. *de electione*). Id si accidat in Romano Pontifice eligendo, electio dicitur facta *per adorationem.*

Per compromissum fit, quando universum Capitulum nemine dissentiente committit electionem arbitrio paucorum ex Capitulo, vel etiam extraneorum (cap. 8. *de electione*). Hujusmodi usus maxime est, quando Capitulum scissum est in contrarias partes, ut difficillime conveniat in uno eligendo. Ratio ejusdem modi est, quod unusquisque juri suo potest renunciare.

Per scrutinium fit, cum duo vel tres a Capitulo electi aliorum suffragia secreto excipiunt, quibus publicatis, is erit electus, in quem major pars eligentium convenerit, qui nempe habuerit ultra medietatem votorum, quae sunt in Capitulo. Si nemo tanta suffragia obtinuerit, vel compromissum potest institui, vel novum scrutinium fieri oportet, quousque major votorum pars in aliquem cadat.

Verum in electione Romani Pontificis et Abbatissarum permittitur, ut si publicato scrutinio, vota inveniantur dispersa in plures, et nemo ea retulerit ad sufficientem quantitatem possint electores mutata sententia accedere ad eum, qui plura prae aliis habuit suffragia, ut vota in scrutinia data ad numerum debitum augeantur, qui electionis modus

dicitur per accessum. At in electione Romani Pontificis elector potest accedere etiam ad eum, qui in scrutinio unum tantum suffragium obtinuit.

Antequam scrutinium fiat Missa de Spiritu Sancto debet celebrari, et singuli electores se electuros quem omnium dignissimum existimant spondere debent, et sua suffragia in schedis complicatis descripta in calicem, vel aliud sacrum vas immittere.

Electione perfecta exquiri oportet consensus electi, cui tempus unius mensis datur a die quo suam electionem sciverit. Interim electores nequeunt electionis factae poenitentes aliam instituere.

Locus electioni proprius, ubi eligentes debent convenire, est ipsa Ecclesia vacans vel ejus ambitus.

Tempus electionis incipit a die vacationis Ecclesiae, nullumque omnino erit quidquid gestum fuerit circa electionem, vivo adhuc Episcopo. Imo ante actum electionis exequiae sunt celebrandae defuncti Antistitis. Tempus eligendi durat tres menses, qui computantur a die habitae notitiae vacationis; ex. gr. si Episcopus absens obierit, vel renunciaverit, nisi intra hoc tempus facta erit electio, jus eligendi devolvitur ad eum superiorem, a quo confirmatio petenda est. Si tamen Capitulares legitime fuerint impediti, possunt etiam post tres menses convenire. Possunt etiam Electores justam ob causam brevius temporis spatium praefinire modo absentes commode queant adesse.

De illis qui eligunt, hae sunt regulae: 1. omnes qui ad Ecclesiae Capitulum pertinent jus habent eligendi, vocandique sunt ad electionem nisi canonico impedimento detineantur, quales sunt non modo Haeretici, Schismatici, Excommunicati, vel alia censura obstricti, sed etiam ii qui non sunt in sacris constituti.

2. Licet aliquis ad Ecclesiae Capitulum non pertineat, tamen potest habere jus eligendi 1. ex praescriptione 40. annorum: 2. ex privilegio: 3. ex conventione vel cessione facta ab eis, quorum interest.

3. Quovis modo fiat electio, omnes qui jus habent ad electionem, vocandi sunt, nisi in provinciis admodum remotis sint, vel aliquo legitimo detineantur impedimento, ut vocatio inutilis omnino futura sit. Si igitur unus ex Capitularibus fuerit neglectus, electio hoc uno ex capite irrita est, nisi qui neglectus fuit electionem ipse ratam habeat.

4. Qui abest, si juratus affirmet, se esse legitime impeditum, potest uni ex Capitularibus, vel etiam extraneo, si Capitulum assentiatur, mandatum dare ad eligendum, et si is in mandato personam quam vult eligi determinat, mandatarius potest unam personam suo nomine, aliam nomine mandantis eligere. At si mandans nullam personam ei determinat, tunc mandantis et mandatarii suffragium debent in unam, eamdemque personam convenire. Per epistolam vero nemini suffragium dare permittitur.

In eo qui eligitur requiruntur aetas, doctrina, et mores. Aetas debet esse saltem 30. annorum, doctrinae causa electus, debet esse vel in sacra Theologia, vel in jure Canonico licentiatus, et debet examen subire coram Romano Pontifice si in Italia sit, vel Apostolico nuntio, si extra Italiam. Mores tandem tales esse debent, quales designat Apostolus in 1. ad Timotheum cap. 1. et ad Titum cap. 1. et 2.

Quapropter rejiciuntur non modo omnes irregulares, et quavis censura innodati, et criminosi, sed etiam qui scienter indignum elegerunt, quippe qui per triennium eligi non possunt, et qui laicorum potestatem in electione implorarunt, et qui in sacris non sunt constituti, saltem a sex mensibus ante electionem.

§. II.

De Postulatione.

Impedimenta hactenus explicata ob quae aliquis nequit eligi, possunt esse hujusmodi, ut qui iis detinetur, vel nullo modo possit eligi, indignusque sit, atque si eligitur, electio sit irrita: vel possit solum aliquo modo minus proprio eligi, qui modus dicitur *postulatio*. *Postulatio* igitur est *concors Capituli, vel majoris ejus partis petitio a superiore ut is qui aliquo canonico impedimento dispensabili detinetur ad praelaturam admittatur data ei dispensatione.* Prioris generis impedimenta sunt ea, in quibus superior non potest vel non solet dispensare, quibusque irretiti ne possunt quidem postulari. Hujusmodi sunt infantes, amentes, furiosi, omnino rudes et illiterati, bigami, nati ex adulterio, sacrilegio vel incestu, temerarii violatores interdicti, falsarii, simoniaci, infames ratione delicti. Alterius

generis sunt ea in quibus superior justam ob causam solet, et potest dispensare, quibusque obstricti queunt postulari: tales sunt nati saltem viginti et septem annis, illegitimi orti ex stupro, et alii qui recensentur in cap. *Innotuit* 7., et cap. *Cum in cunctis* 20. *De electione.*

Fieri potest ut postulatio concurrat cum postulatione, idest ut omnes Capitulares postulent, sed diversi diversum; tunc requiritur, et sufficit conspiratio majoris partis; si postulatio concurrit cum electione, idest si una pars Capitularium postulet Petrum, alia eligat Paulum nullo impedimento laborantem, postulatus non vincet electum, nisi habeat duas partes tertias votorum quae sunt in Capitulo; electus autem postulatum vincet si vel uno suffragio superet tertiam partem.

Quoniam igitur Postulatus opus habet dispensatione, sequitur 1. ut postulatio nullum omnino jus det postulato; secus electio: 2. ut postulantes possint a postulatione recedere, antequam illam Superiori praesentaverint: 3. ut postulatio a Superiore admissa eamdem vim habeat, ac electio a Superiore confirmata.

§. III.

De Confirmatione.

Post electionem, vel postulationem sequitur confirmatio, quam electus petere debet a legitimo superiore intra tres menses a consensu suae electioni dato: nisi eam intra hoc tempus petierit, electio vim omnem amittit, et electus jure suo decidit. At superioris est, antequam electionem confirmet, diligenter de ea cognoscere, et in primis audire, si qui sint adversus eam dicturi. Post elapsum terminum, generali edicto, quod valvis Ecclesiae affigitur, praefiniendum, si quis compareat ad electionem impugnandam, is non debet admitti nisi legitimam suae morae causam adduxerit.

Confirmatione obtenta, electus omnem potestatem jurisdictionis, titulumque Episcopi electi, cunctaque privilegia Episcopis concessa, acquirit: atque confirmatione contrahitur spirituale conjugium inter confirmatum et Ecclesiam. Episcopo autem tantum electo, nondum confirmato, si extra Italiam sit, concordibusque suffragiis fuerit electus, permittitur ob locorum distantiam, ut Ecclesiam administret.

§. IV.

De Consecratione.

Confirmationem tandem sequitur consecratio, quam Episcopus debet omnino suscipere intra tres menses ab impetrata confirmatione : nisi id fecerit, tenetur restituere fructus perceptos, et si alios tres menses distulerit, ipso jure privatur Ecclesia.

Effectus consecrationis sunt : ut ea suscepta, vel post tres illos menses, qui a confirmatione dantur Episcopo, ut consecretur, ipso jure vacent omnia beneficia quae habebat : praeterea ut consecratione acquirat Episcopus omnem ordinis potestatem, et consummetur illud spirituale conjugium, quod inter Episcopum et Ecclesiam per electionem fuerat inchoatum, et per confirmationem perfectum.

Consecratio debet fieri die dominico, et a tribus Episcopis, quorum unus dicitur Episcopus consecrator, alii assistentes : et ejus commemoratio fieri debet quotannis in Dioecesi.

Ut autem quis valide consecretur Episcopus, necesse omnino est, ut ante presbyter ordinatus fuerit : id quod secus est in aliis ordinibus : in iis enim inferior ordo haud necessarius est, ut superior valide conferatur.

TITULUS XI.

DE EPISCOPORUM TRANSLATIONE.

Translatio definitur *alicujus personae ab una Ecclesia ad aliam mutatio facta superioris auctoritate et justa de causa.* Cum enim Episcoporum translationes severissime prohibeantur, quia ut plurimum sunt ob avaritiam, vel ambitionem ejus qui ad nobiliorem vel ditiorem Ecclesiam cupit transferri, omne vitium cessat, si concurrant superioris auctoritas et justa causa.

Superior est unus Romanus Pontifex ; translatio enim de uno ad alium Episcopatum refertur inter causas majores, quae omnes sunt Romano Pontifici reservatae, et summae aequitatis est, ut a canonibus Conciliorum generalium translationes vetantium sola dispenset Apostolica sedes, cui concredita est canonum custodia, et exequutio. Itaque licet

Patriarchae in suo Patriarchatu ipsi jure suo creant Episcopos, tamen iis interdicitur eorum translatio.

Cum igitur Superioris auctoritate fieri debeat translatio, sequitur 1. ut si Episcopus propria auctoritate de una in aliam Ecclesiam transferre se audeat in poenam utraque privetur. 2. Statim ac Romanus Pontifex translationem approbaverit prior Ecclesia vacet, ejus Antistes novam assequatur, et spirituale conjugium cum priore dissolutum contrahat cum ista. 3. Ut Episcopus ad certam Ecclesiam translatus nequeat ad aliam se transferre.

Requiritur etiam causa justa idest necessitas vel utilitas Ecclesiae, ex. gr. si Ecclesia Episcopo commissa ita fuerit a barbaris eversa, ut nihil ei sit quod administret; vel si alicujus Antistitis opera magis Ecclesiae profutura sit in ampliori, difficiliorique administranda, vel si constans et unanime Clericorum populique suffragium aliquem Episcopum ad suam Ecclesiam postulet.

TITULUS XII.

DE DIVERSIS EPISCOPORUM ORDINIBUS.

Ecclesiastica Hierarchia est coetus Ecclesiae ministrorum a Laicorum coetu distinctus qui potestatem habent vel divina solum Religionis ministeria celebrandi, ac distribuendi, vel etiam Ecclesiam regendi. Qui priori tantum pollent potestate ii pertinent ad hierarchiam ordinis in qua quidem sunt omnes clerici ab infimo gradu usque ad Sacerdotium: qui etiam altera pollent, ii spectant ad hierarchiam jurisdictionis, in qua certissime sunt Episcopi.

At plures sunt Episcoporum ordines; quamvis enim omnes eumdem habeant characterem, et in potestate ordinis pares omnino sint inter se, ne Romano quidem excepto Pontifice; tamen quidam eorum sunt altioris prae aliis gradus vel dignitatis. Sunt enim Episcopi qui uni praesunt Dioecesi et presbyteris per eam constitutis. Sunt Archiepiscopi seu Metropolitae qui praeter propriam Dioecesim cujus sunt Episcopi praesunt pluribus Dioecesibus, earumque Episcopis in una provincia constitutis. Sunt Primates seu Exarchae, qui praesunt pluribus Episcopis et Archiepiscopis per plures provincias distributis. Sunt Patriarchae quorum longe major et extensior est potestas ac ditio. Est denique Romanus Pontifex qui universae praeest Ecclesiae.

At in hac jurisdictionis hierarchia jure divino sunt solum Romanus Pontifex, et Episcopi. Caeteri gradus Episcoporum, qui medii sunt inter eos, jure quidem humano sunt, idest ea potestas, quam ex peculiari suo gradu exercent, Ecclesiastica tantum institutione, et auctoritate iis competit.

§. I.

De Patriarchis.

Tres tantum Patriarchae erant in Ecclesia ad quartum usque saeculum, idest Romanus qui praeerat toti Occidenti, Alexandrinus qui praeerat Aegypto, Libyae, et Pentapoli, quae loca decem efformabant provincias, Antiochenus qui praeerat Orienti ubi quindecim numerabantur provinciae. His tribus Patriarchis accessit deinde Constantinopolitanus, qui praeerat tribus Dioecesibus, Thraciae, Ponticae, et Asianae, Hierosolymitanus, qui tribus Palaestinis.

Jura Patriarcharum sunt: 1. ut postquam a Synodo electi fuerint et a Romano Pontifice confirmati, pallioque donati ipsi ordinent Metropolitanos sui Patriarchatus, eisque pallium tradant post fidei professionem, et obedientiae sponsionem sibi datam: 2. Synodos cogant, celebrent, eis praesint, et constitutiones totum Patriarchatum obligantes ferant: 3. causas graviores judicent: 4. enormium criminum veniam sibi reservent: 5. subditos cogant ad generalium canonum exequutionem: 6. jus habeant stauropegii, sive figendae crucis in Monasterii fundatione sub immediata Patriarchae jurisdictione futuri: 7. plura habeant honoris insignia; quamvis autem non omnes Patriarchae nec ubique, nec semper eadem obtinuerint jura, illaque certe non habeant Patriarchae honoris magis, quam potestatis, quemadmodum sunt Patriarcha Venetus, Indiarum, et Ulyssiponensis, tamen antiquissima Patriarcharum jura, magna saltem ex parte prae aliis retinent Patriarchae catholici orientales, quales sunt Patriarcha Maronitarum, Melchitarum, Armenorum, et Chaldaeorum.

§. II.

De Primatibus seu Exarchis.

Fuerunt Primates, vel Exarchae tum in Ecclesia occidentali, tum orientali; illos occidentis facilius est cognoscere: erant enim illarum civitatum Episcopi, quos Sedes Apostolica suos legatos cum amplissima potestate constituebat, ut erat Episcopus Thessalonicensis per Illyricum, Arelatensis et Viennensis per Galliam, quibus deinde plures alii additi sunt, idest Hispalensis, et Tarraconensis in Hispania, Cantuariensis in Britannia, Armachanus in Hibernia, Moguntinus in Germania etc. Juribus igitur Primatus ii gaudebant Sedis Apostolicae beneficio cujus vice fungebantur.

Ad Occidentem spectat etiam Episcopus Carthaginiensis, qui primatum habebat per Africam, quia Carthago metropolis erat totius Provinciae. At divisa Africa in sex provincias primatu gaudebat senior Episcoporum.

Exarchae seu Primates Ecclesiae orientalis quatuor fuerunt, nimirum Episcopus Heracleensis, cui Dioecesis Thracia; Caesareensis, cui Dioecesis Pontica; Ephesinus, cui Dioecesis Asiae suberat. At saeculo IV. ex his tribus Exarchatibus coaluit Patriarchatus Constantinopolitanus. Exarchatus jure praeditus erat Episcopus Cypri, postquam se a Patriarchatu Antiocheno subtraxit.

Exarchae seu Primates, etsi Patriarchis essent inferiores, tamen Metropolitis praestabant: igitur 1. eorum jurisdictio erat in omnes Dioecesis Metropolitanos, quos ordinabant: 2. a Metropolitanorum sententia ad eos appellabatur: 3. eorum judicio definiebantur lites, quae inter Episcopos essent et Metropolitanos: 4. in Concilio post Patriarchas sedebant. Primates, qui modo supersunt, tales sunt titulo tenus uno excepto Lugdunensi, ad quem appellatur a sententiis Metropolitanorum Turonensis, Senonensis, et Parisiensis.

§. III.

De Metropolitis, seu Archiepiscopis.

Metropolitae seu Archiepiscopi sunt Antistites urbium quae primariae erant totius provinciae, certa praediti po-

testate in Episcopos suae Provinciae. Jura Metropolitarum sunt 1. ut nihil, quod gravissimum sit, Episcopi possint absque eorum consensu decernere.

2. Antiquitus Metropolita aut solus, aut in Synodo provinciali de causis judicabat Episcoporum, et in eos sententiam excommunicationis ferre poterat. Sed hanc potestatem Trid. Concilium coercuit, causas Episcoporum graviores criminales Romano Pontifici, minores autem Synodo Provinciae reservans: cumque de causis Episcoporum civilibus nihil statuerit, permanet jus vetus, quo Metropolitani sunt Suffraganeorum ordinarii judices.

3. Metropolita etiam poterat suo arbitrio Ecclesias Suffraganeorum visitare, atque eo nomine procurationem exigere. Sed id modo Tridentinum iis non permittit, nisi suam Dioecesim ante lustraverint, et visitationis causa in Synodo Provinciae sit probata.

4. Potest Episcopos Provinciae ad Concilium provinciale quolibet triennio convocare, et inobedientes poenis coercere.

5. De causis totius Provinciae per appellationem judicat, etiam delegatos in loco causarum deputando. Verum excipiuntur causae, in quibus Episcopus procedit ut Sedis Apostolicae delegatus: tunc enim a sententia Episcopi appellatur ad delegantem.

6. Vicarium Capitularem constituit, si Capitulum infra octo dies ab Episcopi morte eum eligere neglexerit.

7. Demum Episcopos Suffraganeos tam ad residentiae legem compellit, tam ad Seminaria erigenda.

Ex iis omnibus patet etiam jure novo Metropolitas aliquam habere potestatem tum in ipsos Suffraganeos, tum in eorum subditos tribus in casibus, idest in appellatione, in sacra visitatione, et in devolutione.

TITULUS XIII.

DE USU, ET AUCTORITATE PALLII.

Pallium hic dicitur proprium illud Metropolitarum insigne, per quod pastoralis officii plenitudo cum archiepiscopalis nominis appellatione confertur: itaque illud non alia auctoritate potest dari quam ecclesiastica, justeque fuit in Concilio Lateranensi IV. sancitum, ut Patriarchae a Pon-

tifico pallium accipiant, ab iisque Metropolitae : decet etiam ut pallium hujusmodi peculiarem habeat formam, particulari modo fiat, benedicatur et tradatur.

Formam habet fasciae nigris crucibus distinctae, quae humeris imponitur in formam circuli ante pectus, et in humeros deorsum pendens. Fit ex lana, quae abraditur ex duobus candidis agnis, qui in Ecclesia, et festo D. Agnetis solemni ritu benedicuntur dum in missa canitur versiculus *Agnus Dei*; deinde Subdiaconis Basilicae Vaticanae alendi, et custodiendi causa traduntur. Pallia ex eorum lana confecta una nocte in altare, sub quo jacent corpora SS. Apostolorum Petri et Pauli, reconduntur, Subdiaconis interim vigilias ducentibus; demum servantur in capsa, quae ponitur super Cathedra, in qua D. Petrus Romae sedit.

In Pallii traditione haec servantur : 1. enixis precibus illud in Consistorio Cardinalium debet personaliter postulare Metropolita, si adsit; absens vero per Procuratorem, qui tunc jurat cum reverentia illud delatum iri : 2. Non conceditur nisi praestato ante fidelitatis et obedientiae erga summum Pontificem juramento: 3. Electus praesens in Urbe pallium a primo Cardinali Diacono accipit, absens ab aliquo Archiepiscopo, cui Papa id delegaverit.

Effectus Pallii accepti sunt : 1. ut nomen consequatur Archiepiscopi; ante enim Metropolita solum poterat appellari: 2. ut possit exercere tum actus potestatis Archiepiscopalis, ex. g. convocare Synodum Provinciae, eam visitare; tum actus majores potestatis ordinis, eos nempe, qui inter Missarum solemnia vel in pontificalibus geruntur, ex. g. conficere chrisma, dedicare Ecclesias, conferre ordines, benedicere Abbates, et virgines. Ante pallium acceptum potest solum exercere actus minores potestatis ordinis, qui nempe fiunt extra Missam, et cum stola tantum, ex. g. benedicere calices, coemeterium.

Usus Pallii iis limitibus coercetur, ut sit tantum intra provinciam in Ecclesiis, inter Missarum solemnia, in solemnioribus festis.

Praeterea usus Pallii personalis est, certaeque Ecclesiae intuitu conceditur: hinc sequitur 1. ut Archiepiscopus nequeat pallium suum alteri concedere: 2. ut Archiepiscopus defunctus cum suo Pallio sit sepeliendus : 3. ut Archiepiscopus ab una in aliam Ecclesiam Archiepiscopalem translatus antiquo nequeat uti, novumque debeat petere, ejusque successor alio indigeat pallio.

Cum igitur Pallium sit Patriarcharum, Exarcharum, et Metropolitarum insigne; sequitur quod peculiari Sedis Apostolicae privilegio illud habeant quidam Episcopi, idest Episcopus Ostiensis, Bambergensis, aliique.

TITULUS XIV.

DE ROMANO PONTIFICE.

Plures in Romani Pontificis persona uniuntur gradus et dignitates. Is enim est Romae Episcopus, Metropolita, seu Archiepiscopus Romanae Provinciae, Exarcha, seu Primas Dioecesis Romanae sic dictae, ut ab Italica distingueretur, decem provincias continentis, totius Occidentis Patriarcha; denique totius Ecclesiae supremus Pastor et Caput in ea divino jure primatum habens honoris et jurisdictionis.

De hoc tantum nos dicturi, investigabimus: 1. quo jure: 2. quomodo ei competat is primatus: 3. qui sit ejus finis: 4. quae sint praecipua Romani Pontificis jura, tum quae natura ipsa primatus continentur, tum quae Romani Pontifices ob suum primatum sibi justa de causa reservaverunt.

Divino jure ei competit, ut definitum fuit in Concilio Florentino, et Tridentino, et clarissime probatur tum ex Sacris Scripturis Matth. 16. et Joan. 21., tum ex perpetua Ecclesiae traditione.

Modus est successio Romanorum Pontificum D. Petro in episcopatu Romano; scilicet Romano Pontifici competit is primatus, quia D. Petro succedit in episcopatu Romano. Cum enim Christus Dominus primatum in universa Ecclesia instituisset pro bono ipsius Ecclesiae, cumque contulisset Petro ob praeclaram ejus confessionem de sua divinitate; voluit sane, ut is primatus in Petri successores transiret, ne aliter suae Ecclesiae quae usque ad consummationem saeculorum erat duratura, perpetuus etiam Pastor deesset. At certissimum est Petrum postquam Antiochenam Ecclesiam per plures annos gubernasset, illius Urbis Episcopatu relicto sedem suam Romam transtulisse, ejus Urbis Episcopum obiisse. Itaque cum Romani Episcopi sint successores Petri in Episcopatu Romano, per hanc in Episcopatu successionem succedunt etiam in illo D. Petri primatu super universam Ecclesiam.

Finis primatus est unitatem Ecclesiae, quam Christus voluit, et in qua bonum ejus situm est, servare et defendere: quamvis enim Ecclesia innumeris fere membris constet tum iis qui praesunt, tum iis qui reguntur; quia tamen omnium fidelium una debet esse fides, iidem mores, eadem sacramenta, idem aeternae beatitudinis assequendae finis, omnes suis Pastoribus subesse, Pastores autem mutuo inter se communicare; Ecclesia profecto assequitur ex eo certam moralem unitatem; quae sane unitas peculiaris essentialisque est ejus character. At haec unitas a pluribus in tot tantisque servanda, nemo non videt, quam facile infirmari, vel scindi possit. Ut igitur unitas illa servaretur, et fracta aliquando restitueretur, necesse profecto fuit, ut unus omnibus fidelibus, particularibusque pastoribus praeesset cum potestate decreta et leges ferendi, quibus ea firmetur, ac restituatur, judicandi vero, et puniendi infractorem, eum maxime, qui praeter Romanum Pontificem nulli alii subjicitur.

Hoc fine primatus statuto patet jam quaenam sint praecipua jura, quae Romanus Pontifex habet necessario ex natura ipsa primatus: 1. jus habet in causis Fidei, nempe est supremus omnium controversiarum fidei judex, cujus judicio omnes Christifideles obtemperare coguntur.

Hic autem non eas intelligimus controversias, quae sunt palam haereticae apud omnes, vel dubiae quidem simplicibus, manifestae vero sapientibus ac peritis. Utramque enim istarum causarum cadit etiam sub Episcoporum potestate: sed eas intelligimus quae pro se Doctores habent cum rationibus ad utramque partem probabilibus.

2. Jus habet in causis disciplinae, idest potestatem leges disciplinae condendi, non solum eas, quae ita a fidei regulis pendent, ut credendi regula constituat etiam legem agendi, quemadmodum esset lex vetans, ne baptizatus rite ab haeretico rebaptizetur, cum ea lex oriatur ex fidei dogmate unum esse Baptismum: sed etiam illas quibus fidei, morum et regiminis Ecclesiastici integritas servatur, licet haud necessario profluunt ex ullo dogmate, eaque de causa mutari possint.

3. Jus habet in causis Episcoporum, idest quaecumque ea res sit, in qua judicium ferri debeat de Episcopo, cujus causae judicium ad Romanum spectat Pontificem: id quod verissimum est, attenta forma ecclesiasticae hierar-

chiae a Christo instituta, qua nempe nullus gradus medius est Papam inter et Episcopos.

Verum postquam instituti sunt gradus Metropolitarum, Patriarcharumque, causae quidem Patriarcharum, quippe qui nullum alium superiorem agnoscunt quam Romanum Pontificem, hujus judicio necessario competunt, et causae Episcoporum relinqui potuerunt judicio Metropolitarum, vel Patriarcharum ut factum novimus in antiqua disciplina, in qua et causae Episcoporum, et plura alia ecclesiastica negotia judicabantur, et constituebantur a Metropolitano, vel a Patriarcha, vel ab ipsis Episcopis.

Sed novissimo jure plurima istarum rerum Romani Pontifices sibi reservarunt, non modo jure ob suum primatum, sed etiam justas ob causas, quas brevitatis causa praetermittimus.

Itaque Romanus Pontifex vel ex natura ipsa primatus, vel etiam accedente reservatione sibi facta: 1. causas Episcoporum criminales cognoscit, eos deponit, interdum ad pristinum gradum restituit, de una in aliam Ecclesiam transfert: 2. Novos Episcopatus erigit, existentesque de loco ad locum transfert, vel dividit, aut conjungit: 3. Generalia Concilia indicit, praeest, confirmat, eorumque leges abrogat, vel ab iis dispensat: 4. Ad eum licet appellare, medio judice praetermisso: 5. Ab illius sententia nefas est appellare, nec ad ipsum generale Concilium sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae: 6. Ecclesiasticas personas a Superiorum jurisdictione eximit: 7. Inferiores Ecclesiarum titulos, et beneficia in nonnullis casibus sibi reservat: 8. Semper et ubique Pallio utitur: 9. Servos Dei in Beatorum album, vel Sanctorum refert: 10. Indulgentias plenarias elargitur: 11. Breviarium, ac Missale corrigit, atque mutat: 12. Ordines Regularium eorumque regulas approbat: 13. Enormia crimina absolvenda sibi unice adscribit: 14. Dispensat ab irregularitatibus: 15. Vota solemnia relaxat, illaque simplicia castitatis perpetuae, ingrediendi religionem approbatam, et sacrae peregrinationis in Hierosolymam, ad limina Apostolorum, et S. Jacobum Compostellae: 16. Dispensat locum aliquem a Quadragesima: 17. Dispensat in aetate et temporibus Ordinationum, itemque in impedimentis matrimonialibus dirimentibus etc.

TITULUS XV.

DE SACRAE ROMANAE ECCLESIAE CARDINALIBUS.

Cardinales Romani Pontificis Senatum constituunt, illum eligunt, et episcopalem jurisdictionem habent in suis Ecclesiis.

Cardinalium nomen in Ecclesia antiquissimum est; quivis enim Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, qui certae Ecclesiae fixe et immobiliter erat adscriptus, Cardinalis dicebatur, ideo quod ita eam regeret et administraret, veluti cardines fixi ipsi et immobiles januas regunt et volvunt; igitur hujusmodi Episcopus, Presbyter, Diaconus distinguebatur ab eo, qui nullius Ecclesiae ministerio erat mancipatus, proindeque dicebatur adventitius, subsidiarius, visitator. Itaque hoc sensu aliae etiam Ecclesiae suos habent Cardinales; eaque tantum de causa nihil prae reliquis habuissent Romanae Ecclesiae Cardinales.

Isti autem fuerunt initio solum Diaconi et Presbyteri. Cardinales Diaconi in solemnitatibus Pontifici sacra peragenti ministrabant, et Diaconias regebant, idest Oratoria aedibus quibusdam conjuncta, in quibus pauperes, viduae, aliaeque hujus generis personae ex communibus Ecclesiae bonis alebantur, quae tamen Diaconiae progressu temporis in veras Ecclesias abierunt.

Cardinales Presbyteri erant ii, quorum curae Urbis Ecclesiae perpetuo erant commissae, Conventus et Sacra in iis facientes: ut modo solent Parochi in suis Parochiis.

Tardius Romana Ecclesia habuit Episcopos Cardinales. Quamvis enim antiquissimo instituto et more proximiores Romae Episcopi frequentes adessent in Urbe, ac invitarentur cleri Romani conventibus, ubi gravius aliquid esset agendum, eaque de causa unum cum Romanis Presbyteris veluti collegium jam constituere viderentur: tamen haec cooptatio proprie facta est saeculo VIII., quo primum septem e finitimis Episcopis idest Ostiensis, Portuensis, S. Rufinae, seu Silvae candidae, Albanensis, Praenestinus, Sabinensis, Tusculanus, designari coeperunt, qui statis solemnibusque diebus coram Summo Pontifice sacrum facerent, aut eidem sacrum facienti adessent. Ex eo igitur tempore merito ii Episcopi existimati sunt Romanae Ecclesiae Cardinales, tum ob eam designationem et munus, tum

etiam quia eorum opera consilioque non minus ac Cardinalium Presbyterorum et Diaconorum Romanus Pontifex uteretur in Ecclesiasticis negotiis, et eos suburbicarios episcopatus Romanae Ecclesiae ministri tantum optarent

Quamvis autem in Cardinalibus magna et multiplex fuerit immutatio pro numero, insignibus, praerogativis, privilegiis, modoque illos creandi, tamen patet ex dictis eos etiam hodie esse, qui antiquitus fuerunt. Siquidem Cardinales olim erant ut etiam nunc qui Romanae Ecclesiae membra fierent, unum aliquem titulum, vel episcopalem, vel presbyteralem, vel diaconalem assequendo, ut sic constituerent Romanae Ecclesiae collegium.

Etsi vero Cardinales Presbyteri et Diaconi in suis titulis seu Ecclesiis non illud idem gerant, quod antiquitus: tamen altius nunc munus in illis exercent, cum in propriis titulis jurisdictionem habeant/episcopalem, possintque in illis ea omnia peragere, quae Episcopi in Dioecesibus, exceptis tantum iis, quae pendent ab episcopali charactere. Quare verissimi sunt earum Ecclesiarum rectores, qui nobiliorem modo Romani Cleri partem efficiunt, soli succedentes juribus antiqui Romanae Ecclesiae Presbyterii.

Praeterea patet, duo insigniora Cardinalium munera, nempe Romano Pontifici opera, consilioque adesse in Ecclesiae administratione, eumque eligere, vere quidem stare tam in antiqua, quam in nova disciplina; nam ut alia taceamus, Sanctus Syricius Papa epistola septima testatur, se facto Presbyterio, idest congregato Clero Romano, condemnasse doctrinam Joviniani, ejusque sociorum: ob idem munus a Divo Bernardo Cardinales appellantur collaterales, consiliarii, et coadjutores Romani Pontificis, qui cum eo Ecclesiam curant; et Tridentinum decrevit, ut ex omnibus Christianis nationibus Cardinales assumantur, Synodum veluti occidentalem repraesentantes, iisque dotibus sint ornati, quas sacri Canones in Episcopis requirunt.

Neque res multo secus se habet in altero munere Papam eligendi. Nam antiquissimus ordinarius modus fuit, ut a populo et Clero cum vicinioribus Episcopis instar aliorum Antistitum eligeretur: deinde a solo Clero omnibus laicis exclusis. Quamvis autem a saeculo XII. quo Alexander III. in Concilio Lateranensi statuit, quod is ab universa Ecclesia Romanus Pontifex haberetur qui a duabus partibus Cardinalium concordantibus eligeretur, jus Romanum Pon-

tificem eligendi spectet ad solos Cardinales, reliquo Clero excluso: tamen patet, in hac nova forma electionis summi Pontificis, aliis tantum exclusis, remansisse eos, qui primam partem vel antiquitus in ejus electione babuerunt.

Cum igitur Cardinales semper Romanae Ecclesiae Collegium formaverint, in Romani Pontificis electione partes modo praecipuas, modo totas babuerint, et de eorundem collegio tum Papa eligeretur, tum assumerentur legati ad Concilia, ad Ecclesias, vel ad Principes: jure quidem magna semper in existimatione babita fuit eorum dignitas vel ab antiquissimis temporibus.

Sed neque mirum esse debet, quod eorum dignitas gradatim eo devenerit, ut Episcopis, et Patriarchis praeferrentur, licet ipsi jurisdictionem in Ecclesia babeant, qua illi carent. Id enim in ceteris societatibus etiam merito usuvenit, ut qui sui muneris ratione supremum eligunt principem, eique sunt a consiliis praeferantur iis ipsis qui regimen babent civitatum, vel provinciarum sibi subjectarum.

Cardinales autem primum illud munus praecipue explent in Consistorio, et in Congregationibus. *Consistorium* est *consessus Cardinalium in Curia praesentium in formam senatus coactus, praesidente summo Pontifice.* Antiquitus in eo minores etiam agitabantur causae, quas Romanus Pontifex ipse per se, auditis partibus, definiebat: at modo graviora in eo tractantur negotia, quae forensem formam non babent, sed gratiosam et politicam, ut supremi Principis senatum decet. Illud autem duplex est; *ordinarium* seu *secretum*, in quo soli Cardinales cum Papa assident; alterum *extraordinarium* seu *publicum*, in quo alii quoque Praelati, et ministri intersunt.

Congregationes sunt *coetus aliquorum Cardinalium, quibus Pontifex nonnulla negotia peragenda committit, et Cardinalis aliquis praeficitur*; excepta illa supremae Inquisitionis, cui ipse Pontifex praeest. Quindecim Congregationes instituit Sistus V. quibus tres adjunxit Clemens VIII., aliasque alii Pontifices, quae omnes sunt perpetuae, partim pro Ecclesiasticis, partim pro saecularibus negotiis destinatae.

Sunt etiam quaedam extraordinariae, quae pro rebus praeter consuetudinem incidentibus, instituuntur, unde negotio expleto dissolvuntur. Congregationes Ecclesiasticae sunt supremae Inquisitionis, Propagandae Fidei, Interpretationis

Concilii Tridentini, Sacrorum Rituum, Indicis, Indulgentiarum, Immunitatis Ecclesiasticae, de negotiis Episcoporum et Regularium etc. In altero Cardinalium munere, idest Papam eligendi, plura sunt specialia, quae proinde omitti non debent: 1. post lapsos ab obitu Pontificis decem dies inchoanda est electio a Cardinalibus praesentibus in loco, ubi defunctus habebat curiam: 2. ultra id tempus expectari non debent absentes, quemadmodum nec vocari: 3. nulla censura neque impedit Cardinalem electorem a ferendo suffragio: 4. neque obstat Eligendo, aut Electo in Pontificem: 5. Electio fieri debet in Conclavi clauso: 6. ut sit canonica electio, requiruntur Cardinalium, qui sunt in Conclavi, duae tertiae partes votorum: 7. satisque erit, ut non sit simoniaca, vel metu extorta.

TITULUS XVI.

DE LEGATIS.

Legatorum sedis Apostolicae triplex genus est: alii sunt a latere, alii missi, alii nati.

Legati a latere ceteris dignitate praestant; sunt enim fere semper Cardinales, qui vel ad regendas provincias Romani Pontificis dominio subjectas mittuntur, vel ad supremos Principes pro bellis componendis, aliisve publicis, gravissimisque negotiis gerendis, vel praesidendum Conciliis.

Legatorum a latere praecipua jura sunt: 1. Intra fines suae legationis cognoscere causas Ecclesiasticas, non quidem in prima instantia, quia ad Episcopum spectant, sed appellatione interposita: 2. absolvere excommunicatos etiam non subditos qui censuram incurrerunt ob Clerici percussionem: 3. concedere indulgentias centum dierum, quandocumque voluerint, et unius anni in dedicatione Ecclesiae: 4. dispensare in iis omnibus, in quibus Episcopi, et Archiepiscopi dispensant: 5. conferre omnia beneficia, in qua tamen re concurrunt cum Ordinario, et datur inter eos praeventioni locus, nisi beneficia sint Apostolicae Sedi reservata: 6. Legato praesente Archiepiscopus nequit crucem ante se efferre etc.

Legati missi, seu *Nuntii* sunt, qui apud supremos Principes Romani Pontificis nomine degunt: quare isti non mit-

tuntur ad agendum singulare negotium, sed ad conservandam unitatem fidei, puritatem morum, constitutionem hierarchicam, canones, et disciplinam. Mos iste legatos ad Principes mittendi antiquissimus est. Hi possunt absolvere excommunicatum ob violentam manuum injectionem in Clericum, modo excommunicatus sit eorum subditus, et ipsi sint in provincia. Cetera vero jura magis agnoscenda sunt ex pontificiis diplomatibus, quibus illi insigniuntur.

Legati nati sunt illarum Ecclesiarum Episcopi, quibus dignitas legationis Apostolicae perpetuo ita adnexa est, ut per ipsam Episcopatus adeptionem, sine ulla Pontificis concessione legati Sedis Apostolicae constituantur, vel nascantur. Eorum origo repeti debet ex eo, quod Romanus Pontifex Episcopis majorum civitatum in dissitis Provinciis solebat vices suas committere, ut illarum Ecclesiarum, et Provinciarum commodum curarent, peculiaremque gererent curam, id quod postea pro consuetudine fuit receptum.

Eorum jurisdictio initio fuit amplissima; at in praesentiarum vix conferunt beneficia, quae vacant, ob suffraganeorum negligentiam.

TITULUS XVII.

DE CAPITULO ECCLESIAE CATHEDRALIS, ET VICARIO CAPITULARI.

Capitulum Cathedralis Ecclesiae id habet sibi praecipuum, ut Senatum Episcopi constituat et in illius potestatem post mortem ejus succedat.

Quamvis autem antiquitus omnes Presbyteri, et Diaconi Urbis Presbyterium constituerent, idest Cleri conventum, cujus consilio Episcopus uteretur in Ecclesiasticis negotiis tractandis: tamen multiplicato Fidelium, Clericorum, et Ecclesiarum numero, cum neque conveniret, neque fieri posset, ut omnes ad consilium in rebus quotidianis vocarentur, decuit sane reliquis eos praeferri, qui Cathedrali Ecclesiae inservirent, ab eaque substentarentur.

Cum igitur ex nova disciplina Canonici Ecclesiae Cathedralis reliquo Urbis et Dioecesis Clero succedentes sint Episcopi consiliarii; merito Trid. Concilium sess. 24. cap. 12. de refor. statuit, ut in Cathedralibus Ecclesiis omnes Canonicatus adnexum habeant ordinem Presbyteratus, Diaco-

natus, vel Subdiaconatus, sic tamen, ut dimidia saltem pars Presbyteri sint; atque ut quae graviora sunt, nequeat Episcopus agere, inconsulto Capitulo.

At quaedam sunt in quibus satis est, si Episcopus Capitulum consulat, ex. gr. Synodum Dioecesanam celebrare, judices et examinatores in ea creare, constitutiones edere. Quaedam sunt in quibus cum necessarius sit consensus Capituli, Episcopus illud facere cogitur, quod major pars Canonicorum faciendum concluserit, ex. gr. bona Ecclesiae alienare, Ecclesias vel beneficia unire, causas omnes, in quibus Capituli interest terminare. Quemadmodum iis exceptis, necessitas nulla modo est Episcopo in aliis rebus consilium, vel consensum Capituli exquirendi; sic nonnulla competunt Capitulo independenter ab Episcopo, ex. gr. sua instituta facere, propriam arcam, et sigillum habere, mensae Capitularis reditus administrare.

Ceterum illud nobilissimum jus est Capituli Cathedralis Ecclesiae, ut Sede vacante succedat in Episcopi jurisdictionem.

At Capitulum 1. nullo modo succedit in potestatem ordinis, cum haec omnino dependeat a charactere licet possit exteros vocare Episcopos ad exercenda Pontificalia: 2. neque succedit in potestatem jurisdictionis delegatam, qualis praesertim est ea, quae a Concilio Tridentino tribuitur Episcopis, ut Sedis Apostolicae delegatis: 3. sed succedit solum in potestatem jurisdictionis ordinariam, quibusdam rebus exceptis; nam intra annum luctus nequit concedere literas dimissorias nisi clericis arctatis, illis scilicet, qui ob beneficium coguntur ordinem illi adnexum suscipere; et praeterea nequit conferre beneficia nisi agatur de beneficiis, quae ab Episcopo et Capitulo conferuntur.

Verum quia jurisdictio in plures divisa difficiliter exercetur, Patres Tridentini jussere, ut a Capitulo intra octo dies a morte Episcopi Vicarius Capitularis eligatur, in quem omnis jurisdictio Capituli transfundatur: eo tempore dilapso electio ad alium devolvitur, nisi Capitulum *moram purgaverit*, Vicarium eligendo *re integra*, idest antequam Metropolita in Ecclesia suffraganea, vel senior ex suffraganeis in Metropolitana, vel vicinior in exempta Vicarium Capitularem eligat negligentiam Capituli supplendo.

TITULUS XVIII.

DE VICARIO GENERALI ET FORANEIS.

Imminuta et fere sublata Archidiaconi potestate, qui jure antiquitus praecipuus erat Episcopi minister et adjutor, Patres Concilii Lateranensis IV. celebrati anno 1215. Episcopos hortati sunt, ut si quando non possent totum onus Episcopatus ferre, adjutores sibi adsciscerent. Ex quo factum est, ut brevi usus Vicariorum Generalium invalesceret penes omnes Ecclesias.

Patet igitur Episcopum suo arbitratu sibi constituere posse Vicarium unum vel duos vel etiam tres; suas vices potestatemque posse iis, ut vult, demandare, singulis ipsorum singulas Dioecesis partes adsignare, vel uni jurisdictionem voluntariam, alteri contentiosam committere: cessare ejus jurisdictionem non modo, si ipse Vicarius renunciet, sed etiam si Episcopus mandatum retractet, vel quovis modo cesset jurisdictio Episcopi, scilicet morte, renunciatione, translatione, et depositione.

Verum si Vicarius ab Episcopo sua potestate privetur, hic actus erit omnino evulgandus, quaeque agentur ante evulgationem, valebunt (cap. 4. *De restitutione*, et Clem. unica *De renunc.*).

Constituitur Vicarius mandato generali Episcopi ad exercendam episcopalem potestatem jurisdictionis: ex quo sequitur Vicarium non posse ea facere, quae Episcopus suo utens arbitrio expresse excepit, nec ea ad quae requiritur speciale mandatum, ut sunt 1. cognoscere causas criminales et matrimoniales: 2. beneficia conferre, in iisque permutandis, uniendis, erigendis assensum impertire, visitare Dioecesim, et Synodum cogere: 4. Capitulum Canonicorum indicere, eique praesidere, et suffragium ferre: 5. absolvere a casibus Episcopo reservatis, vel dare facultatem ab iis absolvendi: 6. dispensare in irregularitatibus ex crimine occulto ortis: 7. Dimissorias ad ordines dare, nisi Episcopus in longinquis regionibus diuturne moretur: 8. demum indulgentias vel monitoria ad finem revelandi, ut ajunt, concedere.

Qui in Vicarium Generalem eligitur, debet esse integris moribus, et doctorali juris laurea in publica studiorum universitate donatus. Nequit eligi Laicus utpote juris-

dictionis spiritualis incapax, neque Clericus conjugatus, vel bigamus, nisi hujus irregularitatis dispensationem obtinuerit; neque ex ordine regularium, et quidem ex Mendicantibus omnino non potest, at canonicus Regularis, vel Monachus non prohibetur, dummodo Superioris accedat licentia, et socium religiosum sibi habeat adjunctum; neque minor 25. annis; neque consanguineus Episcopi, vel civis Urbis Episcopalis, vel Dioecesanus; neque demum Parochus aut Poenitentiarius licet exteri, ne videantur uti scientia in Sacramento habita.

Vicarii Foranei sunt, qui extra Urbem Episcopalem in certa parte Dioecesis constituti per unum, vel plura oppida tantam exercent jurisdictionem, quantam iis Episcopus demandaverit. Eorum munus est: 1. Episcopo mores Clericorum renuntiare, atque eorum in crimina ex speciali Episcopi mandato inquirere: 2. in Dioecesis parte sibi commissa Episcopi decreta exequi: 3. civiles causas parvi momenti decidere.

Cum autem quidquid jurisdictionis illi habent, ex speciali magis, quam generali Episcopi delegatione exerceant; eorum jurisdictio proprie est delegata, non ordinaria, proindeque ab eis datur appellatio ad Episcopum, vel ejus Generalem Vicarium.

TITULUS XIX.

DE DIGNITATIBUS, PERSONATIBUS ET OFFICIIS.

Sub Episcopo plures personae sunt, quibuscum ipse veluti dividit onus Episcopatus; alii id faciunt Episcopi delegatione, et nomine, cujus generis sunt Vicarii, de quibus jam egimus; alii suo nomine et jure ob munus semel iis collatum, eorumque personae inhaerens: tales sunt ii, qui praesertim in Cathedralibus dignitates, personatus, et officia habent, et Parochi.

Dignitatem is habere dicitur, qui jurisdictionem habet cum honore; personatum, qui honorem tantum, seu praeeminentiam sine jurisdictione vel administratione: officium denique, qui simplex habet spirituale ministerium, vel nudam rerum Ecclesiasticarum administrationem.

Praecipuae Ecclesiarum Cathedralium dignitates sunt Archidiaconatus, Archipresbyteratus, Decanatus, Primice-

riatus seu Cantoratus , Thesaurariatus , et Scholasteriatus: quae dignitates antiquitus habebant propria quaedam munera et officia cum jurisdictione seu potestate ad illa exercenda; at modo habent solum jura honorifica , idest primas in Choro sedes , in sacris omnibus praecedere functionibus, horas canonicas inchoare , Canonicos ad consilia vocare , et absente Episcopo, tempus , viasque publicarum supplicationum indicere , quae omnia cum sint magis honoris , quam jurisdictionis , merito a doctoribus appellantur dignitates inanes ac ventosae, reque inspecta, personatus magis, quam dignitates existimari debent.

At nomine , et re vera officia sunt illa duo Theologi et Poenitentiarii , quae introducta primum a Conciliis Lateranensibus III. et IV. stabiliorem deinde formam acceperunt a Synodo Tridentina, quae jussit , ut in omnibus Cathedralibus Ecclesiis , insigniorumque oppidorum Collegiatis , esset Theologus , qui sacram Scripturam vel Theologiam moralem (promiscue enim loquitur Concilium) doceret , unaque ex canonicalibus Praebendis primo vacatura huic officio assignaretur. Jussit etiam ut in omnibus Cathedralibus Ecclesiis Poenitentiarius aliquis cum unione Praebendae canonicalis proxime vacaturae ab Episcopo instituatur, qui ex suo officio facultatem habeat excipiendi Confessionos Poenitentium totius Dioecesis , quique magister sit , vel Doctor in Theologia , vel Jure Canonico , et annorum quadraginta.

TITULUS XX.

DE PAROCHIS.

Universae spiritualis auctoritatis , seu Ecclesiasticae jurisdictionis fons et origo est Episcopatus , in quo illa non modo plenissime , et perfectissime continetur , sed a quo etiam in Presbyteros derivatur ex Episcopi commissione.

Id constantissime docet omnis Ecclesiastica antiquitas. Et sane Episcopi positi sunt a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei , plenamque habent ligandi , solvendique potestatem , auctoritatem scilicet , Fidelium conscientias legibus obligandi , eosque interdum ab illis solvendi ; peccata remittendi vel retinendi ; censuras denique aliasque spirituales poenas imponendi , vel relaxandi.

Presbyteri vero, si quando iis datur Ecclesiam regere, id non aliter habent, quam Episcopi concessione. Ex quo sequitur: 1. ut limites ab eodem positos, 2. debitamque illi subjectionem servare debeant creditae sibi potestatis exercitio: 3. ut Episcopi potestas nullo modo minuatur, vel immutetur in eos homines, eaque negotia, quorum is curam Presbyteris commiserit. Haec igitur non modo de illis Clericis, quibus Episcopus speciali mandato spiritualis potestatis exercitium tribuit, sed etiam de Parochis dicenda sunt, licet isti proprio nomine exerceant curam animarum interiorem seu spiritualem, quae una iis ab Episcopo committitur per collationem Parochiae; unumque tantum erit discrimen, quod illorum potestas, utpote delegata, arbitrio Episcopi revocatur, sed Parochorum potestas, utpote ordinaria, non potest revocari, nisi ex causa, et juxta modum a sacris canonibus statutum.

Ex iis principiis facile infertur, quae sint eorum jura et officia; quae iidem facere nequeant; quae demum qualitates in iis requirantur. Cum enim Parochis cura animarum committatur, certe Parochi jus et officium est 1. praedicare, idest sermonem de rebus divinis apud populum habere saltem omnibus diebus festis, tempore jejuniorum, quadragesimae, et adventus Domini; 2. Infantes et rudes in rebus Fidei instruere; 3. Administrare Baptismum, extremam unctionem, Poenitentiam, Eucharistiam, et Matrimonium; 4. Fontem Baptismalem habere, oleum cathecumenorum, librum Baptizatorum, nisi Fontis baptismalis jus sibi retinuerit Ecclesia Matrix in fundatione Filialis; 5. Retinere Oleum infirmorum; 6. Matrimonia contrahenda publicare, matrimoniis assistere, ac benedictionem nuptialem impartiri; 7. Dare testimonium annuae communionis; 8. Publicare nomina, et desideria Ordinandorum, eisque testimonium dare de eorum moribus ac religione, ceterisque Parochianis cum opus habuerint; 9. Fidelium domos in Sabato Sancto benedicere, eorumque cadavera antequam e domo efferantur, eosque tumulari in parochiali Ecclesia, nisi alibi sepulturam elegerint; 10. Diebus Dominicis et Festivis sacrum conventum agere, atque pro suis ovibus sacrificium offerre; 11. Populi mores corrigere, et in Parochia residere.

Quia vero spiritualis cura Parochis commissa solum ad forum internum pertinet, et ab exteriori cura disjun-

gitur ; idcirco nullum jus habent ferendi leges, neque censuras.

Denique cum Parochus sit verus Pastor, dotes debet habere suo muneri convenientes, idest morum integritatem, doctrinam, aetatem saltem 25. annorum.

TITULUS XXI.

DE REGULARIBUS.

Religio, a qua Religiosi dicuntur, est coetus Fidelium, qui in communi vivunt, et ad charitatis Christianae perfectionem tendunt sub tribus perpetuis votis paupertatis, castitatis, et obedientiae, et sub aliqua regula, quae per Ecclesiam probata fuerit, et debita auctoritate munita.

Finis igitur cujusvis Religionis est perfectio Christianae charitatis: modus illum finem obtinendi est triplex illud votum. Satis enim Christianam charitatem implet qui praecepta observat, at perfectius et abunde qui se obligat etiam servare consilia Evangelica castitatis, paupertatis, obedientiae. Regula demum cujusvis religionis est modus, quo facilius, et tutius vota serventur.

Vota sunt solemnia, vel simplicia. Votum simplex est promissio facta Deo de meliori bono servando, ut est castitas, paupertas, et obedientia. Votum simplex fit solemne, si acceptetur nomine Ecclesiae vel Dei ab habente legitimam potestatem, si inducat perpetuum et mutuum vinculum voventem inter et religionem, si habeat vim inhabilitandi voventem ad quosdam morales effectus, ex. gr. ad matrimonium contrahendum. Ex iis tribus unum si desit, votum erit simplex, non solemne.

Rursus vota esse possunt vel perpetua, vel non perpetua etiam ex parte voventis, sed quamdiu vovens voluerit in communitate manere. Duplex etiam est modus probandi regulam alicujus Religionis; aut enim simpliciter declaratur, vivendi modum illius religionis regula praescriptum pium esse, sine ullo errore vel superstitione; aut erigitur etiam illa communitas in statum ecclesiasticum, et vere religiosum, proindeque confertur tali congregationi quidquid ad statum religionis oportet, ex. gr. potestas admittendi ad talem statum, quos Deus vocaverit, condendi statuta, eligendi Praelatos, qui spiritualem potestatem ha-

beant in Religiosos, jus fruendi privilegiis ecclesiasticarum personarum etc. Probare religiones nunc pertinet solum ad Summum Pontificem Romanum.

Quamvis autem Religiosi et Regulares vulgo dicuntur quicumque sub aliqua regula vivunt; tamen ut sit veri nominis Religio, et Religiosi proprie nuncupentur, necesse est 1. ut regula sit per Ecclesiam probata, atque ut diximus, debita auctoritate munita: 2. ut includat necessitatem faciendi vota paupertatis, castitatis, et obedientiae: 3. ut ea vota sive simplicia, sive solemnia, sint tamen perpetua.

Regulares seu Religiosi ordinarie gaudent privilegio, quo eximuntur a potestate Episcopi, et immediate subjiciuntur Romano Pontifici. De hoc privilegio, quod dicitur exemptionis, notandum est; 1. Regulares, eorumque Praelatos, jure communi inspecto, subjectos esse Episcopis aeque ac ceteros Dioecesis Clericos, ac Laicos: 2. ex privilegio solum illos eximi a jurisdictione Episcopi, et immediate subesse Romano Pontifici; ex quo 3. sequitur, non omnibus regularibus hanc exemptionem competere, sed iis tantum, quibus concessa fuerit, proindeque 4. eorum oneri esse illius concessionem ostendere, privilegium, vel praescriptionem allegando, et probando; quo non probato, Episcopus suam jurisdictionem in illos rite exercebit: 5. demum etiam eos Regulares, qui carent hoc privilegio exemptionis ob antiquissimos Conciliorum Canones, et Constitutiones Romanorum Pontificum, aliqua libertate gaudere, qua impeditur Episcopus, ne totam suam auctoritatem exerceat in Regulares aeque ac in ceteros clericos, et Ecclesias saeculares.

Hujus libertatis duo sunt capita, unum ut monastica res in primis a jure pecuniario legis dioecesanae libera sit, scilicet ab omnibus muneribus et solutionibus, quas Ecclesiae, et Clerici saeculares ex lege Dioecesana pendunt Episcopo. Alterum est, ut potestatis Episcopalis abusus religiosam turbantes disciplinam compescantur, ex. gr. ut Episcopus liberam sinat Regularibus sui Superioris electionem; ut Superiori liberum relinquat sui Monasterii regimen; ut neminem ordinet absque Superioris consensu.

Breviter modo agendum est de ipsa religiosa Professione, quae definiri poterit *promissio rite, et libere facta legitimeque acceptata, qua quis vel expresse, vel tacite se adstringit ad vota paupertatis, castitatis, et obedientiae, certamque regulam observandam.*

Rite dicitur facta, si profitens 1. annos sexdecim sit natus, cui aetati ne unus quidem desit dies: 2. si annum saltem unum probationis ante expleverit, qui annus debet esse ita completus, ut ne unus quidem horae quadrans desit, et debet esse continuus; quamobrem si per duas tantum horas Novitius ex Conventu, et Ordine discesserit, censetur interruptus, et iterum debet incboari: finito probationis tempore, professio statim debet fieri nisi justa causa sit eam differendi per aliquod tempus, non tamen ultra mensem.

Libere dicitur facta, si Novitius eam fecerit libero suo consensu, idest nullo inductus metu gravi, injusto, et a causa externa incusso. Requiritur tandem sit *legitime acceptata* idest eam expresse, vel tacite acceptaverit ille cui spectat ad professionem suscipere. Nam professio est contractus onerosus et reciprocus, ultro citroque obligans professum ad observanda vota et regulam, Religionem vero ad eumdem alendum, et juxta ordinis constitutiones tractandum.

Ea promissio fit vel expresse, idest verbis quibuscumque seu ore prolatis, seu scripto exaratis, seu signis etiam et nutibus: vel tacite, ex. gr. si Novitius se immisceat actibus Professorum propriis, vel portet habitum proprium Professorum ab habitu Novitiorum distinctum, sive haec distinctio patens sit, ex. gr. ob diversam formam habitus, sive occulta, ex. gr. si habitus Professorum solum, haud ille Novitiorum benedicatur.

Ut haec Professio tacita valeat, requiruntur non modo omnia, quae ante diximus de Professione in genere spectata, sed etiam ut Novitius sciat per eum actum induci tacitam professionem, illumque animo profitendi susceperit, quae duo si desint, in foro quidem conscientiae nullo tenebitur Religionis vinculo, contra autem in foro externo, nisi ea duo sibi defuisse probaverit.

At siquis invalide sit professus, quia unum vel alterum ex modo explicatis deficiat, intra quinquennium tantum a die professionis poterit reclamare, nisi per totum illud tempus fuerit impeditus, vel nullitatem professionis ignoraverit; tunc enim ei dabitur beneficium restitutionis in integrum ab elapso quinquennio. Dum vero discutitur causa, non licet habitum dimittere, et Monasterio abire: qui unum vel alterum fecerit, non audietur, et tamquam Apostata punietur. Judex causae nullitatis professionis est

Superior regularis, et Ordinarius conjunctim. Nil autem vetat, imo laudabile est, si quis invalidam professionem expresse, vel tacite ratificet: sed opus tunc est, ut sciat is nullitatem suae Professionis. Verum non requiritur novus Superioris consensus, sive Professio nulla fuerit ex defectu consensus in Profitente, sive ex alicujus conditionis defectu: quod in primo casu omnes docent, in secundo certant Doctores.

Plures sunt effectus Professionis Religiosae, sed praecipui sunt: 1. ut tollat patriam potestatem, ita tamen ut Professus retineat jura suitatis, et successionis, proindeque haereditates, quae devenient, acquirit Monasterio, si capax sit bonorum: 2. ut confirmet renunciationes, quas Novitius fecerit cum licentia Episcopi vel ejus Vicarii intra duos menses ante professionem: nam hae renunciationes continent semper conditionem futurae professionis licet ea conditio non fuerit expressa. Si aliter factae fuerint, non valent, etiamsi Professio sequatur, et Novitius in causae piae favorem renunciaverit.

LIBER SECUNDUS.

DE REBUS ECCLESIASTICIS.

TITULUS I.

DE RERUM ECCLESIASTICARUM DIVISIONE.

Res Ecclesiasticas hic dicimus eas omnes, quae directe spectant, vel ad animarum salutem, vel ad cultus divini exercitium, sacrorumque Ministrorum substentationem, vel ad Religionis et charitatis exercitium. Triplex igitur est rerum Ecclesiasticarum genus.

Res primi generis, quae salutem animarum spectant, *spirituales* dici possunt, illaeque duplicis sunt generis; aliae enim corporea quadam substantia, et sensibili obteguntur, uti sunt Sacramenta, Sacrificia, Preces, Ritus sacri etc., et istae sunt res *spirituales corporeae*; aliae vero sunt omnino *incorporeae*, et *insensibiles*, uti sunt Gratia sanctificans, Virtutes theologicae, Dona Spiritus Sancti etc., et istae vocari possunt res *spirituales incorporeae*.

Res secundi generis, quae ad cultus divini exercitium, sacrorumque ministrorum substentationem spectant, bifariam quoque partiuntur. Aliae enim pro sacris ritibus, usibusque, seu cultui divino immediate sunt destinatae, ex. gr. Ecclesiae, altaria, vasa sacra, supellex ecclesiastica etc. et quae dici possunt res sacrae ob consecrationem, vel benedictionem quae in eis adhibetur; aliae vero mediate, ex. gr. quaelibet temporalia quibus et sacra parantur, et ministri altaris substentantur.

Denique res etiam tertii generis dividuntur in duas species; nam spectant ad exercitium vel religionis, vel charitatis. Primae sunt domus, in quibus Religiosi vitam ducunt, earumque domorum reditus, et bona: alterae sunt domus ecclesiastica auctoritate fundatae, in quibus pauperes, infirmi, aliaeque miserabiles personae aluntur, earumque domorum bona. De iis omnibus rebus agendum modo est, praeter res spirituales incorporeas, quae ad Theologiam pertinent.

TITULUS II.

DE SACRAMENTIS NOVAE LEGIS IN GENERE.

Sacramentum definitur *invisibilis gratiae visibile signum ad nostram justificationem divinitus institutum.* Tria igitur necessaria sunt ad omne sacramentum. Primum est signum sensibile, idest res aliqua sensibus subjecta, quae signum dicitur, quia significat *gratiam sanctificantem* (quod est alterum), quam *ex divina institutione* (quod est tertium) res illa sensibilis producit in suscipiente Sacramentum: signum sensibile constat *materia*, ut in Sacramento Baptismi est aqua, extremae Unctionis oleum, et *forma*, idest verbis, quibus peculiaris Sacramenti gratia, quam materia minus clare, et distincte significat, magis aperte, et distincte significatur; ex. gr. in Baptismo aqua, quae abluendi aeque, ac refrigerandi vim habet, accedentibus verbis: *ego te baptizo*, idest abluo, ad interiorem animae mundationem significandam determinatur.

Alterum in Sacramento necessarium est, ut non modo gratiam significet, sed etiam conferat. Omnia quidem Sacramenta conferunt, praeter gratiam habitualem, seu sanctificantem, aliam gratiam, idest quoddam divinum auxilium ad consequendum Sacramenti finem.

Tertium est divina institutio; cum enim solus Deus gratiam conferat, ex sola Dei institutione fieri potest, ut res sensibilis gratiae efficiendae vim habeat in eo, cui illa applicatur. Ex quo sequitur, ut nullum sit sacramentum mutata ea re sensibili, sive mutatio cadat in formam, sive in materiam, dummodo mutatio sit essentialis, non accidentalis. Materia mutatur essentialiter, quando re et nomine differt a materia quam Christus instituit, ex. gr. si pro aqua naturali aqua rosacea in Baptismo, vel panis alius quam triticeus in Eucharistia adhiberetur; mutatur essentialiter forma, quando ob diversitatem verborum non perseveraret idem sensus formae a Christo designatae. Constat de fide novae Legis sacramenta nec plura esse, nec pauciora quam septem, eaque a Christo esse instituta.

Multifariam Sacramenta partiuntur. Prima eorum divisio est, ut alia sint mortuorum, quibus homo primam gratiam consequitur, ut Baptismus et Poenitentia; alia vivorum, quae gratiam adaugent, et haec Sacramenta sunt reliqua alia quinque, nempe Confirmatio, Eucharistia, Extrema Unctio, Ordo, et Matrimonium.

Alia Sacramentorum divisio est, ut quaedam sint necessaria *necessitate medii*; idest sic necessaria, ut nisi ea quis re aut voto suscipiat, nequeat omnino salutem consequi, ut sunt Baptismus omnibus, Poenitentia lapsis: quaedam necessaria *necessitate praecepti*, ut Confirmatio, et Eucharistia omnibus adultis, Extrema unctio omnibus periculose aegrotantibus. Reliqua duo Sacramenta, Ordo scilicet et Matrimonium, necessaria quidem sunt universo corpori Ecclesiae, non tamen singulis, cum nulla necessitas cogat singulos homines aut ordines suscipere, aut nuptias inire.

Ultima Sacramentorum divisio est, ut alia characterem imprimant, idest quoddam signum spirituale, et indelebile, per quod idoneitas quaedam confertur subjecto ad externum Dei cultum, ut sunt Baptismus, Confirmatio, et Ordo: quamobrem tria haec ob indelebilitatem characteris nefas est iterare; iterantur cetera quatuor, quae non imprimunt characterem.

Cum autem Deus Sacramenta instituerit, eaque voluerit, non per Angelos, sed per homines dispensare, sequitur; 1. ut homines sint Sacramentorum ministri, ipsique in illis ministrandis personam Christi gerant; 2. ut solus is

possit esse publicus eorum Minister, qui a Christo constitutus est, qui nempe per legitimam ordinationem sacri ministerii potestatem ex divina institutione accepit; 3. ut Sacramentorum validitas non pendeat a probitate ministri, quamquam graviter peccet, qui sibi conscius alicujus peccati mortalis Sacramenta conficit, aut dispensat; 4. ut Sacramenta ab haereticis, schismaticis, et excommunicatis collata valeant, si rite conferantur; 5. denique ut Sacramenti Minister modo sibi convenienti, idest humano debeat operari, scilicet habere voluntatem, seu intentionem illud Sacramentum vere et serio conficiendi.

Intentio est triplex: actualis qua quis vult efficere id quod agit; virtualis qua quis praevia actuali voluntate non retractata, multa agit, quae ad rem efficiendam conducunt, quamvis dum sacramentum conficit, alio distractns id, quod agit, non advertat. Habitualis est intentio semel actu elicita alicujus rei peragendae, quae licet non fuerit unquam revocata, tamen omnino deserta fuit, interpositis actionibus alterius generis. Intentio actualis est omnium praestantissima tum in dispensante, tum in snscipiente sacramentum, sed haud necessaria. Necessaria tamen est saltem virtualis in dispensante: habitualis sufficit in suscipiente.

In administrandis, vel conficiendis Sacramentis servantnr qnidem ritus ab Ecclesia partim per Apostolos, partim per eorum successores instituti, qui plurimum sunt commendandi tum ob antiquitatem, tum ob utilitatem. Illis enim fideles vel edocentur vim Sacramentorum, vel confirmantur in fide mysteriorum, vel magis reverenter et devote ad ea recipienda accedunt. Hinc sequitur; 1. ut illis omissis valeat qnidem Sacramentum; 2. eorum tamen omissio culpa non vacet, nisi justa necessitas excuset; 3. ut omissi, si fieri potest, debeant suppleri; 4. nt si demum sive universae Ecclesiae communes, sive aliquarum Ecclesiarum sint proprii, et a Romana Ecclesia probati, nequeant immutari vel per quoscumque Ecclesiarum Pastores.

TITULUS III.

DE BAPTISMO.

Baptismus est *Sacramentum novae legis*, *quo per exteriorem corporis ablutionem*, *adjecta verborum formula*, *interior animae ablutio significatur*, *atque producitur*, *ablutusque in Ecclesia constituitur*.

Effectus Baptismi sunt 1. characteris impressio, 2. Gratia habitualis, seu sanctificans, quae id proprium habet, ut hominem in Christo regeneret, deleatque omnem culpam tam originalem, quam actualem, omnemque poenam tam aeternam, quam temporalem in altero saeculo persolvendam: ac insuper det auxilia quaedam specialia novae spirituali nativitati respondentia, ut homo in Christo regeneratus ei se conformet in vita spiritali, et alia Sacramenta rite suscipiat. Tertius effectus est, ut Baptizatus cum Christum habeat in patrem, habeat ejus sponsam, Ecclesiam nempe, in matrem. Baptizatus igitur statim subjicitur potestati spirituali, quam Christus Ecclesiae dedit, simulque acquirit jus ad universa bona spiritualia ejusdem Ecclesiae dispensationi ab ejus Sponso commissa, quibus spiritualibus bonis filios suos degeneres Ecclesia aliquando in totum, aliquando in partem privat, ut resipiscant; unde natae sunt diversae poenarum spiritualium species.

Baptismum Christus instituit Matth. cap. 28. illis verbis: » Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. »

Ejus materia remota est sola aqua naturalis, seu elementaris, illa scilicet, quae opponitur artificiali, ex. gr. aquae rosaceae, qua ne in casu quidem necessitatis extremae quisquam uti potest: materia proxima est ipsa ablutio.

Modus ablutionis triplex est, per immersionem, per infusionem, per aspersionem. Ritum immersionis constanter retinuit Ecclesia tum Graeca, tum Latina per duodecim priora saecula: deinde infusio usu recepta est in Ecclesia Latina ob vitae periculum in infantibus, et ob vitandam nuditatem in adultis: quovis modo Baptismus conferatur, sedulo cavendum est, ut Baptizandus vere abluatur in praecipua corporis parte; non autem ex. gr. in capillis.

Forma Baptismi apud Latinos est » Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti », apud Graecos » Baptizatur servus, vel serva Dei in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. » Irritus autem esset Baptismus omissis verbis : *Ego te baptizo*, oppositamque opinionem damnavit Alexander VIII.

Baptismus est solemnis, vel privatus. In illo omnes adhibentur caeremoniae, quae omittuntur in Baptismo privato.

Solemnis Baptismi minister ordinarius est Episcopus, Sacerdos, Diaconus, (solum ex Superioris delegatione justa causa impediti) et reliqui clerici, laici; imo ipsi Judaei, Pagani, et Haeretici, si debitum ritum servant, valide, et licite baptizant, urgente necessitate : extra eam illicite, sed valide. At in ipso casu necessitatis ordo servandus est, ut nempe clericus superioris gradus praeferatur clerico inferiori, clericus laico, mas feminae, Christianus Judaeo et Pagano: praeterea nemo eorum potest baptizare solemniter, caeremoniaeque omissae, cum primum poterunt, debent hac tantum suppleri.

Locus solemnis Baptismi conferendi est Ecclesia Parochialis Baptisterium habens, in quo servatur aqua certis quibusdam ritibus benedicta ad hoc sacramentum conferendum; ergo illicite conferetur in domibus, nisi agatur de filiis Regum, vel Principum, aut talis necessitas emerserit, ob quam nequeat ad Ecclesiam absque periculo accessus haberi.

Tempus Baptismum conferendi antiquitus erat Pascha, et Pentecostes, nisi necessitas aliqua postulasset, quod nunc etiam servandum est, ut praescribit Rituale Romanum, quoad fieri potest circa adultos, eosque infantes, qui prope illud tempus nascuntur, dummodo iis Baptismus non differatur ultra diem nonum a nativitate ob maxima vitae pericula, quae iis impendent.

Subjectum Baptismi sunt tam infantes, quam adulti. Infantes possunt baptizari, modo aliqua saltem ex parte e matris utero prodierint, quae pars si fuerit caput, nullo modo Baptismus iteratur : si quaevis alia, iteratur sub conditione. Licet autem, imo oportet eos baptizare, si ex Fidelibus parentibus sint orti : at si ex infidelibus, non licet eos baptizare, nisi 1. vel ab illis Baptismo offerantur ut in Fide Christiana edoceantur; 2. vel mortis periculum illis

immineat ; 3. vel filii sint mulierum , quae sunt in nostra servitute ; 4. vel Parentes patriam potestatem in illos amiserint.

Adulti non debent ante baptizari , quam Trinitatis et Incarnationis mysteria fuerint edocti , vitamque veterem detestantes , novam inchoare promittant , servando divina mandata.

Haec adultorum instructio dicitur cathecumenatus, cujus tempus antiquitus regulariter erat triennium ; at modo relinquitur Sacerdotum arbitrio definiendum pro majori , vel minori cathecumenorum docilitate , et pietate.

Ex antiqua praesertim baptizandi disciplina profluxit usus Patrinorum. Nam Baptizandi , qui tunc majori ex parte erant adulti, instrui debebant , et Baptismo offerri : demum e sacro Fonte , quem nudi omnino ingrediebantur , erant suscipiendi. Qui igitur haec munia obibant , patrini dicti sunt , quasi parentes essent Baptizatorum in nova eorum spirituali regeneratione.

De Patrinis Concilium Tridentinum decrevit , ut unus tantum seu vir , seu mulier , vel ad summum unus et una Baptizatum de Baptismo suscipiant , iique esse nequeunt Abbates et Monachi , neque Clerici saeculares absque Episcopi venia , neque parentes suorum filiorum , aliter usu matrimonii interdicuntur , neque Judaei , Infideles , Haeretici , vel Excommunicati.

TITULUS IV.

DE CONFIRMATIONE.

Confirmatio est *novae Legis Sacramentum , quo Baptizatis per sacram chrismatis unctionem , et manus impositionem utramque ab Episcopo factam , vel a Presbytero , cui Romanus Pontifex privilegium dederit , confertur augmentum gratiae , quae Fidelem inclinat ad Fidem constanter tenendam , et profitendam , necnon datur auxilium speciale ad illos actus, et character imprimitur.*

Hujus Sacramenti institutio a Christo facta , etsi Sacrae Scripturae verbis non exprimatur , tamen ex illis satis certe colligitur : cum enim Christus Apostolis saepissime promisisset se daturum Spiritum Sanctum , cumque ii per manuum impositionem Spiritum Sanctum dederint Ba-

ptizatis; dicendum sane est, eos a Christo accepisse hunc morem, quo Spiritus Sancti gratia conferretur.

De materia et forma hujus Sacramenti quaestio est in Scholis. Opinantur plurimi materiam esse solam manuum impositionem, qua Episcopus supra Fideles in genua provolutos advocat Spiritum Sanctum; formam vero orationem, quam tunc is recitat: » Veniat super hos famulos tuos Spiritus sapientiae, et intellectus, spiritus consilii, et fortitudinis, spiritus scientiae, et pietatis, et reple eos, Domine, spiritu timoris tui ». Contendunt alii materiam esse chrisma, formam verba illa » Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti ». Sunt etiam, qui censent, utramque materiam et formam esse huic Sacramento essentialem. In hac opinionum diversitate id certum est, utramque esse adhibendam.

Chrisma conficitur ex oleo olivarum et balsamo. Graeci adjungunt trigintaquinque aromatum species. Illud debet esse benedictum ab Episcopo, non a Presbytero, cui semper fuit id constantissime vetitum. Feria V. in Coena Domini novum chrisma consecratur, et vetus comburitur. Latini solam frontem, adhibito Crucis signo, inungunt. Graeci aures etiam, oculos, nares, pectus, pedesque. Post peractam unctionem Episcopus confirmatum leviter percutit in maxilla, qui ritus recentioris est instituti, et significat, confirmatum ut decet Christi militem patienter injurias ferre debere: demum ei pacem impertitur.

Hoc Sacramentum quovis tempore potest conferri; sed quia antiquitus una cum Baptismo conferebatur in Paschate, et Pentecoste, decet eo potissimum tempore administrari. Decet etiam ob hujus Sacramenti dignitatem, ut tam Confirmans, quam Confirmandus sint jejuni si commode fieri potest.

De aetate Confirmandorum certum 1. est, hoc Sacramentum valide conferri omnibus Baptizatis absque ulla aetatis differentia: 2. non esse reprehendendos Graecos, qui veterem morem retinent confirmandi pueros statim post Baptismum: 3. in Ecclesia Latina, quia Baptismus a Confirmatione disjungitur, minus expedire, ut pueri confirmentur ante usum rationis quemadmodum ait Cathechismus Romanus: 4. possunt ii tamen confirmari ante septennium ex causa, quae justa videatur Episcopo, ex. gr. si diutina futura

sit illius absentia, aut illi versentur in vitae discrimine, aut alia urgeat causa.

Patrini quoque adhibentur in hoc Sacramento, a quo munere excluduntur iidem, qui in Baptismo esse prohibentur: praeterea debent esse jam confirmati, unusque tantum admittitur, mas pro mare, femina pro femina.

TITULUS V.

DE EUCHARISTIA.

Eucharistia Sacramentum est, et Sacrificium; de ea ut est Sacramentum, antea inquiremus; deinde ut Sacrificium.

Eucharistia est novae Legis Sacramentum, quod sub speciebus panis et vini a Presbytero consecrati corpus et sanguinem Christi continet, illudque suscipientibus confert tum gratiam habitualem ad actus devotionis, pietatis, et charitatis ordinatam, tum adjutorium ad eosdem.

Hujus Sacramenti materia sunt Panis triticeus, et vinum ex vite. Graeci, omnesque ferme Orientales pane utuntur fermentato; Latini cum Armenis, et Maronitis pane azymo: quisque debet observare suae Ecclesiae ritum; ergo illicite, quamvis valide, Graecus in azymo, Latinus in fermentato consecraret.

Ex perpetua Ecclesiae traditione, et praecepto paululum aquae vino admiscetur, quam proinde siquis omitteret, valide sed illicite consecraret.

Forma qua consecratur panis est » Hoc est corpus meum »: illa qua consecratur vinum est » Hic est calix sanguinis mei »: cetera verba licet ad vim Consecrationis minime pertineant, tamen ea siquis relinqueret, gravissime peccaret.

Hujus Sacramenti minister ordinarius tum Consecrationis, tum Dispensationis est unus Sacerdos. Poterant olim Diaconi eam Populo dispensare, numquam tamen Sacerdotibus. Jus autem Eucharistiam dispensandi certis personis est Parochi; igitur alii non possunt eo invito. At modo licentia Parochi tacite concessa intelligitur aliis Presbyteris, expressaque opus esset tantum pro Viatico, et Communione Paschali.

Baptizati omnes capaces sunt Eucharistiam recipiendi.

Olim dabatur Infantibus post Baptismum et Confirmationem: quae disciplina retinetur adhuc a Graecis: sed in Latina Ecclesia justis de causis immutata est, immutarique potuit, quoniam parvuli nulla obligantur necessitate ad Sacramentalem Eucharistiae communionem.

At Fideles adulti ad Eucharistiae perceptionem obligantur divino praecepto, cui progressu temporis addita etiam fuit Ecclesiae lex praeceptum divinum declarans, ejusque tempus determinans. Primi enim Fideles singulis diebus, quibus ad Missam audiendam accedebant, sacram quoque Eucharistiam sumebant. Cum autem refrigesceret tam insignis Christianorum pietas, Ecclesia communionis necessitatem imposuit in Festis Nativitatis Dominicae, Paschae, et Pentecostes. Denique imminuta etiam magis Fidelium devotione statutum est, ut saltem semel in anno, Fideles Eucharistiam sumerent in Paschate a proprio Parocho: quod tempus incipit a Dominica Palmarum ad Dominicam usque in Albis.

A Communione prohibentur 1. publici Peccatores usque dum poenitentiam egerint salutarem; 2. Ultimo supplicio damnati apud Gallos, et Hispanos, non vero apud Italos, et Germanos; 3. Dementes, furiosi, et energumeni, quibus tamen pie dari potest in lucidis intervallis.

Qui Eucharistiam sumit, debet esse jejunus a media nocte praevia illius diei, in quo sumitur. Excipiuntur infirmi in mortis periculo constituti, nonnulliquo alii ob singulares casus.

Eucharistiae Sacramentum quia permanens est, secus ac cetera Sacramenta, non solum dispensatur, sed etiam asservatur, publice exponitur, et solemniter ad cultum publicum circumgestatur.

Antiquissimus est usus eam asservandi, praesertim ut ad infirmos deferretur, quae proinde singulis quatuordecim diebus, ne corrumpantur ejus species, est innovanda. Servari ea potest solum in Ecclesiis Parochialibus, Regularium, et Cathedralibus, non vero in aliis absque privilegio apostolico.

Minus antiquus est mos Eucharistiam publice venerandam exponendi, vel in publicis supplicationibus deferendi. Illa nequit publice exponi, nisi publica causa per Episcopum probanda intercedat: quae causa numquam deesse rite censebitur, cum posita est in Ecclesiae utilitate. Solus au-

tem Episcopus hanc facultatem potest impertiri, non modo in suis Ecclesiis, sed in illis etiam, quae vel ad Regulares pertinent, vel alias quae sunt ab Episcopi jurisdictione penitus immunes.

Privatim exponitur Eucharistia cum ejus Tabernaculum solum aperitur, ut Pixis sacra clausa, suoque velamine obtecta populi oculis subjiciatur, vel sphaera intra crystallum inclusa sub umbella statuitur velo operta, ut sacrae hostiae aspectus impediatur.

Ut hoc modo exponatur, non requiritur publica causa, et Episcopi facultas: satis erit illius Ecclesiae praefecti venia, et causa privata, ex. gr. ut alicujus aegrotantis vita levetur, vel religiosi viri desiderium. Mos Eucharistiam in publicis supplicationibus deferendi initium habuit ab Urbano IV. medio saeculo XIII., vel a Joanne XXII. ineunte saeculo XIV.

Id primum statutum est fieri in festo Corporis Christi: inde dimanaverunt aliae hujusmodi supplicationes, cum hoc Sacramentum vel ad infirmos defertur, vel quolibet mense in Ecclesiis Cathedralibus, et Parochialibus circumgestatur; ut vero hae Processiones decentius fierent, institutae sunt Confraternitates Laicorum.

Eucharistia sive dispensetur, sive asservetur in Pixide, sive exponatur, sivo solemniter deferatur, Sacramenti rationem habet, quod consecrationo perficitur. Satis igitur egimus de ea, ut est Sacramentum. Agendum modo de ipsa, ut est Sacrificium.

Hujus Sacrificii essentia posita est in Consecratione, qua scilicet aeterno Patri Jesu Christi victima offertur, et mactatur. Nam quantum est ex vi verborum, corpus ejus a sanguine dividitur, non cruento quidem, sed incruento modo, ut ait Tridentinum. Eucharistia hoc sensu accepta dicitur *Missa.* Cum autem solus Sacerdos Eucharistiam possit consecrare, sequitur, ut is solus sit Missae sacrificii minister: imo debet is legitime non impeditus saepius in anno hoc sacrificium offerre ob Christi verba » hoc facite in meam commemorationem. » Hujus rei curam Tridentini Patres Episcopo mandant.

At unam tantum Missam Sacerdos potest singulis diebus celebrare, excepto die Nativitatis Dominicae, et casu quo unus Parochus duas regeret Parochias inter se distantes, neque alius Sacerdos sit, qui die festo celebret in altera Parochia.

Neque is potest sacrificare, si nullus sit, qui ministret, neque in die, hora, et loco, quibus per Ecclesiae leges non licet, aut sine iis vestibus, quas Missalis Rubricae praescribunt, etiamsi aliter fidelis Populus audire missam nequeat, aut infirmus esset sine Viatico moriturus. Nam haec praecepta urgent, quando id fieri potest cum ea decentia, quam Ecclesiae leges merito praescribunt, ut Sacerdos qui agit Ecclesiae ministrum, talis etiam appareat externo apparatu.

Missa duplex est, publica, aut privata. Publica est quae in Ecclesia cum conventu Cleri, et Populi celebratur. Ea dividitur in Cantatam, et Solemnem: haec cum cantu et pluribus ministris, nempe cum Diacono, et Subdiacono celebratur; illa sine iis tantum cum cantu celebratur. Missae publicae omnes Fideles tam Clerici, quam Laici, in sua Parochia adstare debebant, ut in diebus festivis satisfacerent praecepto audiendi missam: sed ob privilegia Fratribus Mendicantibus concessa paulatim obtinuit, ut Fideles ubicumque missam audirent in diebus festis, hoc praeceptum implerent.

Missae privatae sunt, quae sine cantu, et sine Clero offeruntur: quamquam illae antiquitus non ita frequentes essent, certum tamen est, in usu semper in Ecclesia fuisse.

Tam pro Missis publicis, quam pro privatis licet recipere honorarium seu eleemosynam; quae praxis antiquissima est. Pecuniarum enim oblatio usque a saeculo VIII. successit oblationi panis et vini, quam Fideles faciebant ad hoc sacrificium peragendum.

Usu eleemosynae statuto, coepit etiam distinctio Missarum in adventitias seu manuales, et perpetuas. Illae sunt, quae semel celebratae et applicatae nequaquam vel ad summum certis quibus vicibus iterantur, ad implendum numerum a pio largitore designatum. Hae sunt, pro quibus Fidelis fundum aliquem assignavit, ut ejus reditibus certus Missarum numerus in perpetuum celebretur: quantitas eleemosynae pro utrisque diversa esse solet; ejusque taxatio a consuetudine induci, et ab Episcopo extra Synodum fieri potest, quamvis, ut stabilior sit, et omnibus innotescat, in Synodo fieri consuevit.

Cum vero plures irrepserint abusus ob eleemosynas utriusque Missarum generis, Ecclesiastica auctoritate sancitum est; 1. ne si reditus fundorum pro Missis perpetuis

assignati ita imminuantur ut satis non sint ad statutum Missarum numerum celebrandum, Episcopi, et Generales Ordinum illas reducant sine Sedis Apostolicae venia sub poena nullitatis: 2. ne onera Missarum perpetua suscipiantur sine licentia in scriptis, et gratis concedenda ab Episcopo, vel ejus Vicario: 3. ne Ecclesiae et Conventus Missas manuales accipiant ultra numerum, qui a Sacerdotibus ibi celebrantibus commode possit impleri: 4. ne Sacerdos, qui Missas manuales celebrandas suscipit cum certa eleemosyna, etiamsi ordinaria sit major, eamdem celebrandam alteri committat, parte eleemosynae sibi retenta; id igitur locum non habet in Sacerdote qui beneficium habet cum onere Missarum vel Cappellaniam seu perpetuam, seu amovibilem, cui annuatim constituti sunt certi reditus: secus si pro qualibet Missa certa detur eleemosyna.

At non solum a reductione Missarum proprie dicta quae respicit tempus futurum, idest Missas in posterum celebrandas, abstinere debet Episcopus, sed etiam a compositione, seu condonatione Missarum, quae respicit tempus praeteritum, eas scilicet Missas quae celebratae non fuerunt, licet recepta esset illarum eleemosyna, vel percepti fructus pro earum celebratione, et applicatione addicti. Haec enim condonatio privative est reservata Romano Pontifici, qui eam solet aliquando concedere, justa causa urgente, et salutaribus conditionibus praescriptis.

Ceterum poterit Episcopus facere reductiones improprie dictas, quae magis sunt declarationes ac judicia, quibus definitur, onus Missarum vel nulliter impositum fuisse, ex. gr. si Testator, qui nihil in bonis habebat, onera Missarum demandasset, vel resolutum fuisse, ex. gr. si Missarum onus proveniat ex contractu, qui rescissus fuerit; vel demum satis impletum fuisse, ex. gr. si fundus pro Missis addictus ab altero vindicetur.

TITULUS VI.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

Poenitentia est Sacramentum, quo lapsis post Baptismum contritis confessis, ac satisfacere promittentibus per Sacerdotalem absolutionem venia peccatorum impertitur.

Hoc Sacramentum fuit a Christo institutum, cum is

post suam Resurrectionem Apostolis apparens, in eosque insufflans dixit: » Accipite Spiritum Sanctum ; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt. »

Forma ejusdem Sacramenti apud Latinos modo indicativo exprimitur, positaque est in verbis illis: *Ego te absolvo*; reliqua verba » a peccatis tuis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti » necessaria sunt ob praeceptum Ecclesiae, sed ad Sacramenti validitatem minime pertinent. Graeci utuntur forma modo deprecativo expressa, quam apud nos minime valere nonnulli contendunt.

Ejusdem materia remota sunt peccata post Baptismum commissa, tum mortalia, quae sunt materia necessaria, tum venialia, quae sunt materia sufficiens, seu libera. Materia proxima sunt tres actus poenitentis; Contritio, quae est peccati detestatio, Confessio, quae est ejus accusatio, Satisfactio, quae est ejusdem vindicta.

De Contritione et Confessione nihil hic putamus dicendum. At de Satisfactione, quae etiam dicitur Poenitentia, adnotari oportet, eam esse vel publicam, quae fit coram Ecclesia, seu publice, debeturque peccatis publicis gravioribus, ut scandalo occurratur, nisi illam Episcopus in secretam poenitentiam dispensandam consultius crediderit, vel privatam, quae occulte et secreto fit.

Effectus hujus Sacramenti est gratia sanctificans, quae sanat a morte peccati, suscitans fidelem a Baptismo relapsum, ipsique remittens non omnem poenam temporalem, sed juxta dispositionem suscipientis, ac insuper gratia specialis auxilii, quo fortius et perseverantius quaelibet detestetur peccata, et satisfaciat pro praeteritis.

Minister hujus Sacramenti est tantum Episcopus, aut Presbyter: nam ii soli per ordinationem accipiunt a Deo clavium potestatem, scilicet facultatem remittendi, et retinendi peccata.

Quoniam vero Deus voluit, ut hanc potestatem in judicii modum exercerent, natura autem, et ratio judicii exposcit, ut sententia in subditos feratur; idcirco nullius momenti erit absolutio, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut delegatam non habet jurisdictionem.

Ordinariam habet Summus Pontifex in universam Ecclesiam, Episcopus in omnes Dioecesanos, Regulares superiores in suos subditos Regulares, Parochi in omnes Parochianos,

Canonicus Poenitentiarius in Poenitentes totius Dioecesis jurisdictionem delegatam habet, qui a ministro ordinario facultatem, et approbationem obtinuit. Quamvis antiquitus, ut putant nonnulli, Parochus dare posset facultatem audiendi Confessiones in Parochia sua Sacerdotibus ab Episcopo non approbatis: certum tamen hodie est, id eos non posse ex Concilii Tridentini decreto in cap. 15. sess. 23. *De refor.* Facultas igitur delegata dari tantummodo potest a Romano Pontifice, ab Episcopis, ceterisque Praelatis.

Ceterum quilibet alterius Dioecesis subditus, si se alio transferat, rite poterit confiteri apud quemcumque Sacerdotem ab Ordinariis locorum approbatum: nam ob constantissimam ubique receptam consuetudinem, certissime praesumitur Episcopum poenitentis, cujus est dare facultatem audiendi confessiones, consentire, ut proprius subditus in loco suae peregrinationis confiteatur apud eos, quos loci Episcopus approbaverit.

Episcopi et Parochi possunt suorum subditorum confessiones excipere etiam extra propriam Dioecesim, et Parochiam: nam et ubique ii sunt suorum subditorum Pastores, illaque potestas ad voluntariam refertur jurisdictionem, quae potest in subditum exerceri etiam extra proprium territorium.

Ceterum Sacerdos sive ordinariam, sive delegatam habeat jurisdictionem nequit absolvere ab iis peccatis, quae ejus superior sibi reservaverit. Excipitur mortis articulus, in quo si confessor approbatus desit, simplices Presbyteri ab omnibus peccatis etiam Romano Pontifici reservatis queunt absolvere.

Confessarius, qui peccatum in Confessione auditum sive mortale, sive veniale dolo manifestaverit, reus est violati Sacramenti, et juris naturalis: punitur igitur depositione, et carcere perpetuo: at si culpa solum manifestaverit, locus erit poenae extraordinariae.

Denique subjectum hujus Sacramenti sunt soli Fideles, seu Baptizati, qui postquam ad discretionis aetatem pervenerint, et rationis usu non sint destituti, saltem semel in anno sacramentalem absolutionem tenentur accipere, id quod facere debent etiam in gravi infirmitate constituti. Qua de causa sub poena temporali exclusionis ab Ecclesia medici jubentur infirmos admonere, ut huic obligationi satisfaciant, cap. 13. *De poenit.* Imo latae sententiae excommunicationem ad-

didit S. Pius V. Const. *Super gregem*, quam confirmavit Benedictus XIII. in Romano Concilio tit. 32. cap. 2. in medicos, qui post tertiam infirmi visitationem ab ejus cura non cessent, donec Sacramentum Poenitentiae susceperint.

TITULUS VII.

DE EXTREMA UNCTIONE.

Extrema Unctio est Sacramentum novae legis, quo per Sacerdotalem infirmi unctionem oleo factam super certis corporis partibus, adjunctamque orationem, confertur gratia sanctificans, et datur jus ad auxilia specialia, ut is patienter ferat morbi incommoda, ipsamque recuperet sanitatem, si animae saluti expedierit.

Sacramentum hoc fuit a Christo Domino institutum, et a Jacobo Apostolo promulgatum, ut definivit Tridentinum sess. 14. can. 1.

Ejus materia remota est oleum ex olivis expressum, quod apud Latinos ab Episcopo consecratur, apud Graecos ab ipsis Presbyteris, tum cum ungunt infirmos. Ex qua disciplinae diversitate merito deducitur; episcopalem consecrationem praecepto solum Ecclesiastico esse necessariam. Dissentiunt autem Doctores, num ipsa consecratio seu per Episcopum, seu per Presbyterum facta requiratur omnino ad Sacramenti validitatem. In hac Doctorum dissentione caveat Sacerdos ne alio utatur oleo, quam consecrato.

Materia proxima est ipsa unctio, quae in Ecclesia Latina fieri debet in oculis, auribus, naribus, labiis, manibus, pedum planta, aut vicinis partibus, si quis alicujus sensus organo careat, et in renibus, quae tamen postrema unctio semper in mulieribus omittitur, in viris autem si nequeant absque periculo moveri. Ecclesia Graeca ungit aegri frontem, mentum, ambas genas, pectus, manus ex utraque parte, et pedes.

Quamvis autem dissentiant Doctores, num plures unctiones requirantur, vel unica satis sit ad Sacramenti substantiam, tamen instante mortis periculo sufficit, unam tantum unctionem facere in sensu magis obvio, ut Ritualia praescribunt.

Forma apud Latinos sunt ea verba » Per istam sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat

tibi Deus quidquid per visum deliquisti, odoratum, gustum, tactum, auditum. » In qua tamen forma haec sola verba, *per istam unctionem indulgeat tibi Deus*, videntur satis esse ad Sacramenti validitatem.

Effectus Extremae Unctionis sunt gratia sanctificans ordinata ad fines aliquos, et effectus proprios hujus Sacramenti producendos, nempe remissionem peccatorum, abstersionem reliquiarum peccati, quae sunt pravae habitudines, ex. gr. proclivitas ad malum, torpor ad bonum operandum, debilitas ad caelestium contemplationem, vel poena peccatis debita; infirmi levamen ad morbi incommoda ferenda; demum sanitatis corporeae restitutionem, si animae saluti expedierit.

Minister hujus Sacramenti est tantum Sacerdos, multoque magis Episcopus, valideque illud conferet quivis Sacerdos, non tamen licite nisi habeat jurisdictionem ordinariam, vel delegatam, vel necessitas urgeat. Unus Sacerdos absolute sufficit ad illud valide ministrandum; igitur Ecclesia Graeca septem adhibet Sacerdotes pro disciplinae diversitate, non pro Sacramenti necessitate.

Primarius hujus Sacramenti effectus est peccatorum remissio, illudque pro infirmis tantum est institutum; hinc sequitur; 1. incapaces esse illius infantes baptizatos, adultosque a nativitate dementes, quia nullum in iis est peccatum: 2. capaces ejus esse furiosos amentes, si ante habuerint lucida intervalla, possitque illis administrari absque periculo irreverentiae: 3. negandam esse tum iis, qui levi infirmitate laborant absque vitae periculo: 4. tum illis, qui cum sano sint corpore certum vel probabile adeunt vitae periculum, ex. gr. ultimo supplicio damnati, praelium inituri, naufragio periclitantes, mulieres in partu laborantes: 5. dandam esse iis, qui subita vi morbi oppressi omni sensu destituuntur: 6. senio confectis etiam non aegrotis in diem morituris: 7. Infirmis dandam esse potissimum in eo morbi statu, quo adhuc integra mente, ac ratione valentes possunt sua fide et religione uberiorem Sacramenti gratiam percipere: 8. denique praebendam esse etiam illis, qui jam in priori infirmitate uncti, a qua convaluerunt, in alium morbum gravem incidunt: nam hoc Sacramentum, cum nullum imprimat characterem, potest iterari.

TITULUS VIII.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

Ordo est Sacramentum novae legis, quo gratia datur, et spiritualis potestas confertur ad ea, quae pertinent ad Eucharistiae tum confectionem, tum dispensationem; sic enim definitur ab iis, qui putant singulos ordines esse vera Sacramenta; at qui Sacramenti rationem negant Subdiaconatui, et minoribus ordinibus Ordinem definiunt: *Ritus sacer, quo spiritualis potestas confertur ad ea, quae pertinent ad Eucharistiae tum confectionem, tum dispensationem.*

Postrema haec definitionis verba ideo apponuntur, quod nullus est ordo, qui institutus non sit vel ad Eucharistiae confectionem, ut Presbyteratus, vel dispensationem, ut Diaconatus, vel cultum illius singularem, ut Subdiaconatus et minores ordines.

Minister Ordinis duplex est, ordinarius, vel extraordinarius, idest ex delegatione, et auctoritate Summi Pontificis. Ordinarius est solus Episcopus; Presbyteri sunt extraordinarii ministri, non tamen cujuslibet Ordinis, scilicet non Episcopatus, Presbyteratus, et Diaconatus, at absque dubio possunt esse minorum Ordinum; plurima hujus rei sunt exempla. De Subdiaconatu Abbates Cistercienses proferunt Bullam Innocentii VIII., qua iis datur potestas Subdiaconatum etiam praeter minores Ordines suis subditis conferendi: at certum est nunquam eos tali privilegio usos fuisse, illudque diploma authenticum esse, plures docti viri negant.

De subjecto Ordinis certum est: 1. adultos non baptizatos; 2. mulieresque sacrae ordinationis prorsus esse incapaces: 3. nullam pariter esse ordinationem, quae invito reluctanti, nec ullo modo consentienti conferatur ob cujuscumque intentionis defectum: 4. illicitam solum, at validam esse ordinationem infanti collatam: at infantes ordinati ad castitatis legem, aliaque onera sacris Ordinibus adnexa non tenentur, nisi legitimo tempore suam ordinationem ratam habuerint.

Effectus Sacramenti Ordinis duplex est, unus est gratia sanctificans disponens ad sacras functiones sancte et religiose obeundas, et actuale auxilium ad officia cuilibet Ordini adnexa rite peragenda: alter effectus est character. Id certe dicendum est de Ordinibus, qui Sacramenta sunt pro-

cui dubio; de aliis vero dicendum, aut negandum est juxta diversas Doctorum opiniones.

Quod spectat materiam, et formam Sacramenti Ordinis advertendum est, in Episcopatus, Presbyteratus, et Diaconatus collatione, praeter manuum impositionem, adjunctamque orationem, adhiberi instrumentorum porrectionem cum alia forma; scilicet Diaconis traditur liber Evangeliorum, Presbyteris calix cum vino, et patena cum hostia, Episcopis expanditur codex Evangeliorum super cervicem et scapulas, eorumque caput et manus chrismate inunguntur, traditur praeterea baculus benedictus, anulus, liberque Evangeliorum.

In reliquis Ordinibus conferendis adhibetur solum instrumentorum porrectio cum certis verbis; quibus tradita potestas significatur, scilicet Ostiario porriguntur Ecclesiae claves, Lectori sacra Biblia, Exorcistae liber exorcismorum, Acolytho candelabrum, et urceoli vacui, Subdiacono liber Epistolarum, et calix vacuus cum patena. De iis igitur Ordinibus Diaconatu inferioribus concedunt omnes, eos conferri per solam instrumentorum traditionem, formamque respondentem: et solum de aliquo eorundem ordinum, in cujus collatione unum et alterum adhibetur instrumentum, quaestio est, num alicujus instrumenti omissio irritam faciat ordinationem.

At in aliis Ordinibus Subdiaconatu superioribus, quidam Doctores manuum impositionem pro materia essentiali Ordinationis solum assignant; alii vero solam instrumentorum porrectionem cum verbis adjunctis, Episcopatu excepto, in quo omnes consentiunt impositionem manuum, adjunctamque orationem esse materiam, et formam essentialem. Alii denique tum manuum impositionem cum oratione, tum porrectionem instrumentorum cum verbis adjunctis tamquam partes essentiales, ac necessarias Sacramenti Ordinis essé contendunt.

Quoniam vero ab Ecclesia nihil definitum est super his sententiis, in praxi sequenda est opinio eorum, qui porrectionem instrumentorum adjungunt impositioni manuum; et si casus incidat Ordinationis, in qua omissus fuerit aliquis ritus, qui ad materiam, vel formam pertinet secundum varias Doctorum sententias, tunc suppleri debet id, quod fuit incaute praetermissum: cap. *Pastoralis* 1. cap. *Presbyter*. 3. *De Sacram. non iterandis*, nisi etiam magis expediat,

totam Ordinationem iterari sub conditione, si ritus, qui fuerit omissus, cum alio adhibito in unam coalescat materiam, seu moraliter unus esse debeat.

Quia denique omnes Ordines ad Sacrificium Missae tamquam ad finem seu scopum referuntur, omniumque ipsum consummatio ac perfectio est: decet sane, ut coram divinis symbolis, quae Jesum Christum in sacro altari praesentem continent, Ordinationes perficiantur. Id autem decet in minoribus Ordinibus conferendis: sed necessarium est in sacris: et insuper, qui ordinat, ipse debet missam celebrare.

Ceterum si vel Missa fuerit omissa, vel ab altero celebrata, quam qui ordinat, utrumque illicite factum erit: at minime officit validae Ordinum collationi, quidquid unus aut alter auctor in contrarium senserit.

TITULUS IX.

DE MATRIMONIO.

Matrimonium sponsalibus initiatur, consensu perficitur, copula consummatur, aliquando plene vel minus plene dissolvitur. Primum igitur agemus de Sponsalibus, post de Matrimonio, demum de Divortiis, seu de modis, et causis illud dissolvendi.

§. I.

De Sponsalibus.

Sponsalia sunt viri, et mulieris mutua promissio futuri Matrimonii; contractus est igitur bilateralis, a quo differt promissio Matrimonii, quae contractus est unilateralis: nam 1. haec est sine repromissione alterius partis: 2. ut obliget requiritur solum acceptatio alterius partis: 3. pars quae promisit, nequit alteri nubere, at pars cui promittitur, libera est quocum velit Matrimonium inire: 4. nullum parit impedimentum publicae honestatis.

Cum autem conventio sive sponsalium, sive promissionis Matrimonii ordinetur ad rem adeo gravem, et onerosam, ut est Matrimonium; ad ejus valorem requiritur ut promissio data sit vera, idest non ficta, et mere exter-

na : praeterea ut sit voluntaria, idest cum cognitione ejus, quod fit, deliberata, idest facta cum libertate, et advertentia; denique ut sit signo sensibili expressa, quo consensus satis cognosci, et acceptari possit. Quovis modo consensus exprimitur, sive re, ex. gr. anuli in digitum missione, sive verbis, sive literis, sive nutibus, valent sponsalia, et licita sunt, quamvis non fuerint juramento firmata, vel in scriptum redacta, vel etiam si clandestine facta, idest sine praesentia Parochi et testibus, nisi peculiaris loci consuetudo vel statutum eorum praesentiam exigant, ut licite fiant.

Sponsalia contrahi possunt tam inter praesentes, quam inter absentes per internuncium, per literas, vel per procuratorem. Hic autem debet esse speciali mandato munitus, nec poterit alium substituere, nisi id ei fuerit expresse permissum. Quovis modo contrahantur, necesse est, ut consensus per Procuratorem, literas, vel internuncium expressus perseveret in mittente, donec alter, cui significandus est, consentiat.

Contrahuntur pure, in diem, vel sub conditione. Pure inita, idest nullo die, vel conditione adjecta, statim obligant, licet aliquod temporis spatium dandum sit ad ea implenda. Contrahuntur in diem, cum quis spondet, se accepturum aliquam in uxorem intra certum tempus, quo exacto, quisque redeat ad libertatem suam. Demum sponsalia conditionata non obligant, nisi conditione impleta, at si concubitus fuerit sequutus, conditio sponsalibus adjecta censetur sublata. Si conditio sit turpis, et nuptiarum fini adversa, nulla erunt sponsalia: sin turpis tantum vel impossibilis pro non adjecta habetur, firmaque erunt sponsalia, contra quod paucissimi Doctores opinantur.

Sponsalia contrahere possunt non solum adulti omnes matrimonii capaces, sed etiam majores septennio; valide etiam contrahuntur a parentibus nomine liberorum praesentium, et consentientium sive expresse nutu scilicet et verbis, sive tacite idest silentio; qui si absentes fuerint, vel ignoraverint, opus est, ut ea rata habeant; secus non valent.

Sponsalium effectus est: 1. ne sponsus possit, altero invito, matrimonium cum aliis celebrare: 2. ut sponsi obligentur matrimonium inter se contrahere tempore ab ipsis determinato, vel si dies executionis praefixa non sit quam

primum altera pars exigit, nisi justa causa excuset: 3. publica honestas, de qua paullo post dicemus in Matrimonii impedimentis.

Si quis igitur fidem sponsalium renuat implere, judicis auctoritate, et metu poenarum spiritualium, poenisque temporalibus poterit induci.

Sponsalia variis modis dissolvuntur: 1. per mortem: 2. per lapsum temporis ad celebrandas nuptias praefiniti: 3. per longinquam peregrinationem seu absentiam, cujus tempus definiendum erit judicis arbitrio: 4. per insignem corporis deformitatem post sponsalia supervenientem alterutri sponsorum: 5. per supervenientem furorem: 6. per fornicationem unius sponsorum, vel praecedentem sponsalia, si fuisset occulta alteri, vel subsequentem, quo in casu innocens poterit a sponsalibus resilire: 7. per votum simplex castitatis perpetuae; quod si sponsalia praecedit, haec non tam dissolvuntur, quam ab initio irrita sunt; sin sequitur sponsalia, ea ex multorum sententia dissolvit: 8. per unius haeresim, vel apostasiam a fide: 9. per superveniens dirimens impedimentum, ut est sacer ordo, Professio religiosa, matrimonium cum altero contractum, affinitas, aut cognatio spiritualis: 10. dissolvuntur communi consensu utriusque sponsi licet juramento fuerint munita: 11. tandem solvuntur dissensu unius pubertatem adepti, si impubes contraxit sponsalia.

§. II.

De Matrimonio.

Matrimonium quandoque appellatur sponsalia de praesenti, ut distinguatur a sponsalibus, quae ad matrimonium sic appellatum opposita dicuntur sponsalia de futuro; quia haec verbo futuri temporis fiunt, ex. gr. ego te ducam in uxorem; illa verbo temporis praesentis, ex. gr. ego te duco in uxorem.

Matrimonium dupliciter accipitur vel pro contractu ipso, quem inter se mulier et vir ineunt, quique res transiens est, vel pro vinculo per talem contractum inducto, quod permanet et perpetuum est.

Matrimonium priori modo acceptum est *contractus, quo vir et mulier suorum corporum dominium ad usum conjuga-*

lem sibi invicem tradunt et accipiunt, seque obligant ad se mutuo juvandum, et perpetuo cohabitandum : acceptum altero modo est *maris et feminae conjunctio maritalis, ac legitima, individuam vitae consuetudinem retinens* : dicitur maritalis, idest ad prolis generationem, et educationem ordinata; legitima, quia nullum debet esse impedimentum a lege statutum, quo nuptiae inter eas personas dirimantur; reliqua verba definitionis significant, virum et mulierem inter se conjungi etiam ad prolem educandam, aliaque matrimonii onera sustinenda.

Cum vero matrimonium a Christo Domino elevatum fuerit ad Sacramenti dignitatem, illud hac ratione acceptum, idest Sacramentum Matrimonii definitur *contractus modo dictus, quo conjunctio Christi cum Ecclesia significatur, ejusque institutione datur gratia specialis auxilii ad moderandam carnis concupiscentiam, ad prolem Christiane instituendam, et ad fidem conjugalem servandam, et gratia habitualis ad eadem inclinans.* Cum igitur matrimonium duplicem habeat rationem contractus et sacramenti; quaeritur num una ab altera sit separabilis. Dissentiunt doctores.

Sunt qui putant, ministrum hujus Sacramenti esse Sacerdotem, ipsum Matrimonii contractum materiam esse, formam illa verba Sacerdotis » ego vos in matrimonium conjungo ». In hac igitur sententia, si duo matrimonium inter se contraherent coram testibus et Parocho, quin is ulla proferret verba, hoc Matrimonium esset contractus, haud vero Sacramentum.

Alii putant, materiam hujus Sacramenti esse corpora contrahentium, formam esse verba, aut nutus, quibus illi suum exprimunt consensum, ministrum esse ipsos contrahentes, qui mutuum consensum exprimentes sibi invicem Sacramentum conferunt. In hac sententia facile quis videt, Sacramentum a contractu separari non posse.

Super has vero opiniones etsi nulla Ecclesiae definitio prodierit, tamen ejus praxis magis videtur favere secundae opinioni. Numquam enim Ecclesia jussit, instaurari matrimonia Fidelium sine Parochi benedictione inita, quod certe non praetermisisset, si ea ob legitimi ministri defectum Sacramenti rationem non haberent.

Ex duplici ista, quam explicavimus ratione matrimonii fit, ut illud sit legitimum, vel ratum. *Legitimum* dicitur, quod valet solum ratione contractus, ut quidem

est omne matrimonium, quod Infideles secundum naturae legem contrahunt. *Ratum* est illud, quod habet etiam rationem Sacramenti, ut est, vel esse potest matrimonium solum Fidelium.

Praeterea Matrimonium vel est perfectum, vel consummatum. *Perfectum* dicitur, statim ac vir et mulier consensum conjugalem praestiterunt; *consummatum* dicitur, quod copula carnali completur.

Itaque ut Matrimonium valeat, nullo modo requiritur concubitus, sed haec duo tantum: 1. consensus per verba de praesenti rite praestitus, idest vere, voluntarie, deliberate, signoque sensibili expressus, ut diximus de sponsalibus: neque requiritur expressa alterius partis repromissio ut in sponsalibus: cum enim Titio dicenti; ego te accipio in meam uxorem, Caja respondet; assentior, hoc uno continetur utriusque promissio et acceptatio, nempe Titius se dat in maritum Cajae, Caja se dat in uxorem Titii, et uterque alterius obligationem acceptat: 2. requiritur ut in matrimonii celebratione nullum sit impedimentum dirimens, quod nempe prohibet ne nuptiae contrahantur, contractasque vel ab initio irritas facit; quae impedimenta quatuordecim sunt, et hisce versiculis continentur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Affinis, raptor, si clandestinus, et impos:
Haec facienda vetant connubia, facta retractant.

§. III.

De Impedimentis Matrimonii.

Error est triplex, vel enim cadit in personam, ex. gr. cum quis ducit Mariam putans ducere Rosam; vel cadit in conditionem, cum liber homo putans contrahere cum libera contrahit cum serva, quae patitur servitutem juris gentium; vel cadit in fortunam aut qualitatem, ex. gr. cum quis putat Rosam, quam ducit, esse divitem, nobilem, virginem, aut pulchram, eaque paupera est, plebeja, corrupta, aut deformis.

Error personae jure naturali dirimit matrimonium; consensum enim tollit omnino: nequit igitur confirmari, nisi detecto errore renovetur consensus.

Error conditionis si, eo quem exposuimus modo, contingat, humano tantum jure dirimit matrimonium, secus error qualitatis aut fortunae. Nam fortuna, aut qualitas nihil imminuit conjugum obligationes et jura : sed maxime imminuit conditio servilis, ob quam nequit servus suum corpus in alterius potestatem libere tradere, individuamque vitae consuetudinem cum eo servare.

Ceterum si *error qualitatis* aut *fortunae* transit in errorem personae, ex. gr. si quis putans contrahere cum filia Principis Burghesii cum alia femina contraxit paupere et ignobili, quae illius nomen assumsit, tunc sane dirimit matrimonium.

Alterum impedimentum juris naturalis est *conditio* substantiae illius matrimonii, quod contrahitur, adversa, ejusque celebrationi expresse adjecta, ut est omnis conditio, quae adversatur uni, vel alteri ex tribus matrimonii bonis, idest bono prolis, positive scilicet impediens generationem vel educationem prolis, si partum ex. gr. abigas, si prolem occidas, vel bono Sacramenti seu indissolubilitati matrimonii, ex. gr. accipio te in uxorem donec inveniam aliam ditiorem : quae conditio, quia tendit ad matrimonii resolutionem, proprie dicitur resolutiva : vel bono fidei conjugalis, ex. gr. contraho tecum si pro quaestu te adulterandam tradas.

At conditio turpis solum, sed matrimonii substantiae non adversa, ex. gr. duco te, si furtum facies, vel conditio impossibilis, ex. gr. si flumen biberis, in foro externo matrimonium nequaquam vitiat, sed magis ipsa vitiatur, idest pro non adjecta habetur, nisi contrahentes ostenderint, ideo se sub una, vel altera conditione matrimonium contraxisse, quod nullum habuerint animum contrahendi.

Conditio autem honesta cum possit matrimonio apponi, illius vim initio suspendit, atque si evenit, illud confirmat, si deficit infirmat.

Haec autem jura locum habent in veris conditionibus, illis scilicet, quae futurum respiciunt eventum. At si conditio sit de re praesenti, vel praeterita, matrimonium ab initio aut valet, aut nullum est prout res in conditione posita extare nec ne deprehenditur ; nisi fuerit conditio natura impossibilis, quae sive de futuro, sive de praesenti sit, non attenditur, ac matrimonium valet.

Votum, quod est tertium impedimentum dirimens, est simplex, vel solemne, idest, emissum in Professione Religionis adprobatae valide facta; solemne solum dirimit matrimonium.

Quamvis autem dissentiant Doctores, an votum solemne habuerit semper vim dirimendi matrimonium, seu juris ne divini an humani sit hoc impedimentum: tamen certum est, posse Summum Pontificem ab eo solvere per eam dispensationem, qua non tollitur legis vinculum, sed tantum declaratur, divinam legem in eo casu ob adjunctas rerum circumstantias nequaquam adstringere.

Cum autem cetera omnia impedimenta matrimonium dirimant solum si illud praecedant; id sane proprium est hujus impedimenti, ut dirimat matrimonium celebratum etiam ante religiosam Professionem, modo non fuerit consummatum. Qua de causa conjux ante matrimonii consummationem poterit quovis tempore ad Religionem transire altero vel invito, habetque a jure duorum mensium spatium ad deliberandum, si altera pars instet.

Cognatio est quaedam personarum conjunctio procedens vel ex carnali propagatione, vel ex adoptione, vel ex Sacramento Baptismi, aut Confirmationis. Prima dicitur naturalis, altera legalis, tertia spiritualis.

Cognatio naturalis est nexus personarum ex eodem sanguine, idest ex eadem persona per carnalem generationem descendentium. In hac igitur cognatione considerantur stipes, linea, et gradus.

Stipes est is, a quo proximius communem habent originem ii, de quorum cognatione quaeritur: sic duorum fratrum germanorum stipes est eorum pater, non avus.

Linea est series personarum a communi stipite descendentium; ea duplex est, *recta* quae complectitur generantes et genitos, vel *obliqua* quae complectitur eos, qui a communi stipite provenientes latere inter se conjunguntur, idest nec parentes inter se, nec liberi sunt.

Linea recta, si complectitur generantes, dicitur linea recta adscendentium, vel superior: si genitos, dicitur linea recta descendentium, vel inferior; ex. gr. mihi conjuncti sunt in linea recta adscendentium meus pater, avus, proavus, abavus, tritavus; at in linea recta descendentium conjuncti mihi sunt meus filius, nepos, pronepos, abnepos, trinepos etc.

Linea obliqua, quae dicitur etiam transversalis vel collateralis, duplex quoque est; *aequalis*, in qua cognati aequaliter distant a communi stipite, ut fratres; *inaequalis*, in qua alter cognatorum longius distat a stipite, ut patruus, et fratris filius.

Gradus est distantia cognatorum inter se, seu est mensura cognationis.

Ad cognoscendum cognationis gradus in linea recta jus civile et canonicum eadem utuntur regula: nempe tot numerantur gradus quot generationes: pater igitur a filio distat uno gradu, avus a nepote duobus gradibus.

In linea obliqua tam aequali, quam inaequali jus civile servat eamdem regulam, nempe tot gradus ponit, quot sunt generationes, et computat generationes omnes, quae sunt ex utraque parte usque ad stipitem. Igitur duo fratres distant duobus gradibus inter se, quia a stipite ad eos duae sunt generationes; patruus a filio fratris distat tribus gradibus, quia tres sunt generationes ab iis usque ad stipitem.

At jus Canonicum in hac linea generationes numerat ex una tantum parte, atque si linea sit inaequalis, ea numerat a persona, quae magis distat a communi stipite: unde ponit regulam, quod in linea obliqua aequali quot gradibus personae distant a communi stipite, totidem inter se distant: igitur filii fratrum germanorum inter se distant duobus gradibus, quia tot gradibus distant a communi stipite, idest ab avo; in inaequali quot gradibus persona remotior distat a communi stipite, totidem inter se distant; hinc frater mei avi distat a me tribus gradibus, quia tot gradibus ego disto a communi stipite, qui est meus proavus.

Numeratio graduum secundum juris civilis regulam fieri debet in successionibus haereditariis et tutelis; secundum juris canonici regulam in matrimoniis.

Cognatio dirimit matrimonium jure quidem naturali in primo gradu lineae rectae; jure saltem humano in quolibet ejusdem lineae gradu, idest in infinitum.

In linea collaterali Matrimonium dirimit usque ad quartum gradum inclusive, et quidem jure naturali in primo gradu, humano in ceteris gradibus.

Stat autem hoc cognationis impedimentum, sive illa oriatur ex nuptiis, sive extra nuptias.

Cognatio legalis oritur ex adrogatione, vel adoptione perfecta. Quaestio est num oriatur etiam ex adoptione imperfecta. Haec etiam cognatio habet quodammodo lineas rectam et transversalem.

In linea recta Matrimonium dirimit inter adoptantem et adoptatum, adoptatique liberos, non solum adoptione manente, sed etiam ea soluta. In linea transversa matrimonium dirimit inter adoptatum, et filios naturales adoptantis, sic tamen, ut impedimentum cesset, soluta adoptione sive per mortem patris, sive per emancipationem filii vel naturalis vel adoptivi.

Denique ob affinitatem quamdam, quae videtur contrahi tum inter adoptatum et uxorem adoptantis, tum inter adoptantem et uxorem adoptati, dirimit matrimonium inter eas personas, etiamsi solvatur adoptio morte vel adoptantis, vel adoptati.

Cognatio spiritualis ex Jure novissimo Tridentini Concilii in cap. 2. sess. 24. *de Ref. Matrim.* nascitur solum inter baptizantem, et baptizatum, baptizatique patrem et matrem, inter patrinum et baptizatum, baptizatique patrem et matrem: inter confirmantem, et confirmatum, confirmatique patrem et matrem, inter tenentem confirmatum, et patrem matremque confirmati. Impedimentum cognationis tum legalis, tum spiritualis totum est juris humani, proindeque potest dispensari.

Crimen, quod est impedimentum dirimens Matrimonii, quadruplex tantummodo est. 1. Si quis, adulterio commisso, conjugem sive suum sive alterius, vel ipse per se, vel per alterum suo consilio, aut praecedente mandato occidat, ut complicem adulterii ducat, quamvis hic non consenserit, aut ignoraverit caedem factam ad hunc finem matrimonii inter se contrahendi.

2. Est conjugis occisio machinata, et perfecta ab ejus conjuge, et altero, ut inter se matrimonium contrahant: cap. *Laudabilem* 1. *De conversione Infidelium.*

3. Est adulterium utrinque formale, (tale scilicet ut conjugium alterius utrique adultero fuerit cognitum) et promissio data, et acceptata ab adultero matrimonium inter se contrahendi post mortem conjugis, sive promissio praecesserit adulterium, sive sequatur.

4. Est adulterium utrinque formale, et matrimonium vivente adhuc legitimo conjuge attentatum inter adulteros,

sive post adulterium , sive ante : cap. *Cum haberet* 5. et cap. 8. *De eo qui duxit in matrimonium.*

Hoc etiam impedimentum jure humano statutum est, ne quid contra vitam legitimi conjugis conspiretur.

Cultus disparitas matrimonium dirimit inter Baptizatum, et non Baptizatum licet Cathecumenum ; quamvis nonnulli arbitrentur hoc impedimentum juris esse divini, tamen ex communi sententia, frequentique usu Sedis Apostolicae ab eo dispensantis habet vim dirimendi jure solum humano.

Vis seu *metus*, ut matrimonium dirimat, debet esse gravis, injustus, externus, ac directus ad extorquendum consensum illius matrimonii.

Metus potest esse gravis vel *absolute*, ut est metus alicujus mali per se gravis, ex. gr. metus mortis, mutilationis, exilii, diuturni carceris, amittendi bona, vel omnia, vel magna ex parte : vel *respective* idest metus alicujus mali, quod etsi non commoveat virum fortem, tamen feminae, puero, vel homini meticuloso merito formidandum videtur. Uterque metus seu gravis absolute, seu gravis respective, num in facto existat, proindeque perveniat ad matrimonium dirimendum in prudenti judicis arbitrio repositum est. Metus etiam reverentialis, idest timor habendi parentem, vel superiorem infensum, licet in se levis sit, fit tamen gravis, si minae aut verbera, aut quiddam aliud grave adjunctum fuerit.

Injustus si contra leges incussus; ex. gr. si stuprator a judice contra legis praescriptum capite damnatur, nisi puellam stupratam ducat, isque hoc metu adductus cum ea matrimonium ineat.

Externus idest ut metus sit a causa omnino externa: nam si quis conscientiae stimulis, metuque gehennae impulsus puellam a se stupratam duceret, matrimonium valeret, quia metus oritur a causa interiori.

Directus ad matrimonium extorquendum; igitur si quis ut a carcere se liberet, offerat suo creditori nihil tale ab illo petenti, se filiam ejus indotatam ducturum; matrimonium valeret, quia metus carceris illatum ei est, ut solveret, non ut filiam creditoris duceret.

Matrimonium ob vim invalidum, nisi altera pars consensum retractaverit, ratificatur 1. per copulam, quam pars metum passa sponte, affectu conjugali, et sciens nullitatem matrimonii habuit : 2. per cohabitationem, quae sit

spontanea, idest facta timoris causa sublata, sit alicujus temporis, sit cum scientia nullitatis matrimonii.

Ordo sacer si praecedat matrimonium, illud dirimit sive consummatum sive non, secus ac professio religiosa, quae dirimit matrimoninm etiam praecedens non consummatum. Nil autem inferet, si Ordo fuerit ex metu gravi susceptus; id enim haud officit validitati Ordinationis; tantumque vi ordinatus, sacri ordinis exercitio perpetuo interdictus a lege continentiae dispensatur, si ostenderit metu gravi se ordinatum, nec postea suae ordinationi libere consensisse. Haec est sententia in tribunalibus ecclesiasticis usu recepta contra eos, qui volunt Ordinem vi susceptum neque dirimere, nec impedire matrimonium.

Impedimentum ligaminis est matrimonium valide cum altero contractum, quo stante secundum nullo modo potest contrahi, tum ob matrimonii indissolubilitatem, tum ob vetitam polygamiam. Itaque conjugi, etsi longissimo tempore is conjugem expectaverit absentem, frustraque de illius morte, aut vita exquisierit, tamen non datur venia transeundi ad secundas nuptias, nisi mortem conjugis certo documento probaverit; nam ex longa conjugis absentia certitudo de illius obitu minime colligitur.

Publica honestas est impedimentum dirimens, quod oritur; 1. ex sponsalibus de futuro validis, et certis (idest non suspensis a conditione adhuc pendente) inter consanguineos sponsi et sponsam, et vicissim inter sponsum et consanguineos sponsae usque ad primum gradum ex jure novissimo Tridentini Concilii, licet sponsalia soluta fuerint per mortem sponsi, aut sponsae, aut per mutuum dissensum; 2. ex matrimonio rato non consummato, licet sit invalidum (modo id non sit ob defectum consensus) inter maritum et consanguineos uxoris, ac vicissim inter uxorem et consanguineos mariti usque ad quartum gradum inclusive. Hoc impedimentum totum est juris humani.

Affinitas est propinquitas porsonarum procedens ex copula carnali perfecta et consummata, sive licita in matrimonio, sive illicita extra matrimonium inter consanguineos viri et feminam carnaliter cognitam, et vicissim inter virum et consanguineos feminae carnaliter cognitae. Sic attento jure canonico definitur affinitas, secus jure civili, in quo tantum ex nuptiis affinitas nasci statuitur.

Affinitas habet lineas, et gradus instar cognationis; at

lineae, gradusque affinitatis sequuntur omnino lineas et gradus cognationis. Igitur ad cognoscendum gradum et lineam affinitatis, quae est inter unum conjugem, et quemvis consanguineum alterius conjugis, satis erit cognoscere lineam, et gradum cognationis, quae est inter conjugem, ejusque consanguineos: ex. gr. Catharina soror Agnetis nuptae cum Petro erit affinis marito suae sororis in primo gradu lineae obliquae; nam ipsa est cognata suae sororis in primo gradu canonico lineae obliquae. Sic filius est cognatus sui patris in primo gradu lineae rectae: igitur uxor filii erit affinis patris sui mariti in primo gradu lineae rectae.

Impedimentum affinitatis, si nascitur ex copula licita extenditur usque ad quartum gradum inclusive in linea obliqua, at in linea recta ascendentium, et descendentium extenditur in infinitum: si nascitur ex copula illicita non excedit secundum gradum jure novissimo Tridentino.

Impedimentum affinitatis ortae ex copula licita in primo gradu lineae rectae, quamvis nonnulli doctores illud censeant esse juris naturalis, verius tamen est juris humani, quod tamen haud expedit dispensari: ceteris autem in gradibus cujuslibet lineae est tantum juris humani.

Affinitas dicitur oriri ex copula licita, etiamsi cognatio sit ex copula illicita: ex. gr. Titius extra matrimonium genuit Paulum, qui post duxit Mariam, affinitas Titii cum Maria erit ex copula licita, quia copula illa, quae proxime inducit affinitatem, est ex matrimonio.

Impedimentum raptus est *inter virum et mulierem ab eodem raptam, ut matrimonium cum ea contraheret, et contraxit, antequam a raptore separaretur*; ex qua definitione sequitur: 1. si femina lubens ac volens abducatur licet invitis parentibus, non induci hoc impedimentum, contra quam alii minus recte existimant: 2. nullum esse matrimonium quamvis mulier sponte consenserit matrimonio, sed repugnaverit abductioni: 3. inter eos matrimonium non posse valide fieri, nisi rapta a raptore separata, et in loco tuto ac libero posita rursus consentiat.

Sequitur *clandestinitas* proprie dicta, idest celebratio matrimonii sine praesentia Parochi, et duorum vel trium testium, quam formam statuit Concilium Tridentinum cap. 1. sess. 24. *de reform. Matrim.* matrimonia aliter facta irritans in iis Parochiis, in quibus illud suum decretum fuerit publicatum.

Ut autem servetur haec forma : 1. Matrimonio debet assistere non quivis Parochus, sed proprius contrahentium : 2. debet esse Parochus animarum curam actu exercens si agatur de iis Parochiis, in quibus cura animarum habitualiter residet penes capitulum, exercetur autem per plures Sacerdotes : 3. si sponsi diversarum sint Parochiarum sufficit praesentia Parochi alterius, non modo si is assistit in propria Parochia quod omnes concedunt, verum etiam si assistat extra suam Parochiam, ut pene omnes communiter docent Doctores : 4. debet esse Parochus domicilii vel quasi domicilii, non originis tantum seu nativitatis, et Parochus domicilii est is, in cujus Parochia contrahentes acquisiverunt domicilium. Parochus quasi domicilii est is, in cujus Parochia contrahentes habent quasi domicilium, quod acquirunt post mensem habitationis si eo venerint per aliquod tempus moraturi, etsi nolint perpetuo manere, (veluti sunt qui studiorum, famulatus, negotiationis, vel professionis causa in aliquo loco versantur) modo non venerint paucos dies moraturi ob rusticationes, nundinas etc. : 5. qui habitat in duabus Parochiis una parte anni in una, alia in altera, si instructus fuerit in unaquaque, ejus matrimonio poterit assistere Parochus unius vel alterius Parochiae : 6. Parochus pro Matrimonio duorum vagorum, eorum nempe qui nullum habent domicilium, nec quasi domicilium, est is, in cujus Parochia actu vagantur : 7. demum pro matrimonio vagi cum incola, idest illo, qui habet domicilium, vel quasi domicilium, est Parochus incolae.

Ceterum ex licentia Parochi matrimonio poterit assistere quivis Sacerdos, non tamen Diaconus, quae licentia committi potest verbo scripto, vel alio signo externo, sive per se, sive per intermediam personam, nec solum specialiter, sed etiam generaliter, seu data sit alicui cura muneris Parochialis, seu commissa sit administratio Sacramentorum. Valet etiam licentia tacita, ex. gr. si proprius Parochus praesens sit nec contradicat, non autem valet licentia futura, ex. gr. si Sacerdos assistat praesumens Parochum ratam habiturum suam praesentiam.

Ceterum ut Parochianorum matrimonio valide assistit Parochus, sic matrimonio Dioecesanorum valide assistit Episcopus, Vicarius generalis, aut Capitularis, vel quivis Sacerdos de eorum licentia; matrimonio demum omnium fidelium Summus Pontifex, vel quivis ab eo delegatus.

Parochi et testium praesentiam Trid. Synodus requirit, ut matrimonium contractum probetur, atque ita impediatur, ne quis aliud matrimonium contrahat: satis igitur erit; 1. testes intellexisse, quid actum fuerit a contrahentibus, licet Parochus et testes inviti adsint, neque fuerint rogati; 2. tales testes esse cujuscumque conditionis, sexus, aetatis, religionis sint; sufficit enim ut mentis compotes sint, et valeant intelligere quid agatur.

Postremum impedimentum est *impotentia coeundi*, quae proinde confundenda non est cum sterilitate, idest impotentia generandi. 1. Impotentia dividitur in perpetuam, quae tolli nequit citra miraculum, aut peccatum, aut periculum vitae, et temporalem, quae tolli potest opportunis remediis. 2. In absolutam, quae est respectu omnium, et respectivam, per quam aliquis est impotens cum certis personis, sed potens est respectu aliarum: 3. demum in eam, quae praecedit matrimonium, et illam quae matrimonio supervenit.

Impotentia, ut matrimonium possit dirimere, debet esse perpetua, et matrimonium praecedere. Sufficit autem si ea sit vel absoluta, vel respectiva.

Si matrimonium dissolvatur ob impotentiam absolutam, pars impos cum nulla alia poterit contrahere; bene vero, si solvatur ob impotentiam respectivam.

Si contingat, ut matrimonio soluto ob impotentiam absolutam, is qui declaratus fuit impos, comperiatur capax coeundi, pristinum matrimonium instauratur.

Matrimonium jam contractum nequit ob impotentiam solvi nisi de ea certe constet: probatur autem adesse mutua conjugum declaratione juramento firmata, accurataquo corporis inspectione ab obstetricibus, peritis, et medicis facienda, ex qua si relata fuerint certa impotentiae signa, matrimonium statim nullum declaratur, conjugesque separantur, si dubia tantum et probabilia, debent conjuges triennio simul cohabitare, et rei carnali operam dare. Lapso triennio, quin matrimonium potuerit consummari, nullum declaratur, conjugesque separantur, si ambo jurent, se nunquam coire potuisse, idque septem propinqui utriusque conjugis juramento credulitatis affirment, idest jurent, se credere, conjuges verum jurasse.

Ob impotentiam quaeritur num valeant connubia senum, vel impuberum: senibus generatim indulget Eccle-

sia conjugium tamquam infirmitatis remedium, et humanitatis solatium.

Conjugium impuberum valet, si praecox malitia et corporis habitudo suppleat aetatem: neque tunc ulla opus est Pontificia dispensatione, sed tantum Episcopi declaratione, eos esse conjugio pares. At impuberes si adhuc sint impotentes, eorum conjugia, quia impotentia perpetua non est, nulla sunt jure solum humano, cui proinde Papa poterit dispensare.

§. IV.

De Impedimentis impedientibus.

Hactenus de impedimentis dirimentibus; agendum modo est de impedimentis impedientibus, quae prohibent, ne nuptiae contrahantur, at contractas non dirimunt; quare conjuges non separantur, quemadmodum separantur ob impedimentum dirimens. Ea sunt tempus feriatum, omissio benedictionis Parochi, omissio proclamationum, interdictum Ecclesiasticum, sponsalia, votum simplex, catechismi ignorantia, dissensus Parentum, denique haeresis.

Tempus feriatum incipit a prima Dominica Adventus usque ad diem Epiphaniae, et a feria quarta Cinerum usque ad octavam Paschatis inclusive, quibus temporibus nuptiae possunt quidem licite celebrari, sed absque ulla publica pompa et apparatu, et sine benedictione solemni nuptiarum, quae consistit in Missa pro Sponsis. Ab hac solemni nuptiarum benedictione differt alia eorum benedictio dicta proinde minus solemnis, quae consistit in verbis illis, et precibus a Sacerdote proferendis dum sponsos matrimonio conjungit; qui ritus adhiberi omnino debent a Fidelibus conjugio sociandis, praesertim ut eorum matrimonium in quavis doctorum sententia habeat sacramenti dignitatem.

Proclamationes a Concilio Lateranensi IV. primum, post a Tridentino sancitae sunt, ut si quae sint impedimenta detegantur. Ter illae fieri debent diebus festivis interpolatim inter missarum solemnia, et quidem in Ecclesia utriusque Parochiae, si sponsi ad diversas spectent Parochias. Ceterum poterit Episcopus eas remittere omnino aut in parte.

Interdicti nomine intelligitur judicis Ecclesiastici prohibitio, ne nuptiae contrahantur, donec plenior de impedimentis sive impedientibus sive dirimentibus facta fuerit inquisitio: qua in re notandum, satis esse probationem, ut ajunt, semiplenam alicujus impedimenti etiam dirimentis, ne quis licite contrahere possit matrimonium: at probatione plena omnino opus est, ut matrimonium jam contractum cum eo impedimento nullum declaretur, conjugesque separentur.

Ex iis, quae diximus de sponsalibus, patet cur ea numerari debeant inter impedimenta nuptias impedientia.

Votum simplex etiam impedit nuptias, sive sit religiosum statum amplectendi, sive castitatis, sive non nubendi, sive sacros Ordines suscipiendi. Itaque si quis eo modo obstrictus, dispensationeque non obtenta nuptias contrahit, non solum graviter peccat, sed etiam debitum conjugale nequit petere, quamvis illud alteri parti reddere teneatur.

Catechismum ignorantes, idest rudimenta Fidei, matrimonio jungi non debent, nisi primum illa didicerint, tum ut ea filios suos edoceant, tum ut suarum obligationum conscii eas possint implere.

Ob *dissensum Parentum* filiifamilias illicite quidem nuptias contrahunt, nisi urgentissima ratione compellantur, vel nisi parentes consensum suum rogati eum sine justa causa denegent. Nam omnia jura praecipiunt, ut liberi in re adeo gravi suis parentibus obedientiam, et venerationem deferant.

Postremum impedimentum impediens est *haeresis*; idest Catholicus cum haeretico matrimonium illicite iniret quamvis valide. Itaque conjux Catholicus a Sacramentis erit arcendus, nisi sui criminis poeniteat, simulque promittat se curaturum conversionem conjugis haeretici, et prolis in fide Catholica educationem.

§. V.

De Divortio.

Matrimonium valide contractum plenam aliquando, vel minus plenam patitur dissolutionem: aut enim solvitur ipsum conjugii vinculum, aut illo firmo manente solvitur

tantum societas habitationis, et thori. Prior solutio jure Canonico magis dicitur repudium, altera divortium. Matrimonium si est consummatum duobus tantum modis dissolvitur quoad vinculum : 1. unius conjugis morte : 2. si duorum conjugum infidelium uno ad fidem converso, et altero in infidelitate remanente, conjugemque conversum vel derelinquente vel tentante a suscepta fide retrahere, conversus novas nuptias ineat cum fidele.

Si vero non sit consummatum, praeter hos duos modos solvitur etiam professione religiosa, ut jam diximus, et Summi Pontificis dispensatione.

Praeter hos modos seu casus matrimonii vinculum nequit omnino dissolvi : nam etsi Scholastici inter se disputent, an insolubilitas matrimonii praesertim consummati, donec uterque conjux vixerit, procedat a jure naturali nec ne : tamen certum est perpetuam illius firmitatem profluere a jure divino scripto.

At pluribus modis matrimonium solvitur quoad societatem habitationis, et thori : 1. si castitatem uterque conjux voveat, aut in religionem ingrediatur: 2. si alter conjugum in gentilismum, vel haeresim prolabatur; timendum est enim ne pravo conjugis exemplo alter attrahatur : 3. ob nimiam saevitiam, nisi maritus caverit de uxore non vexanda, vel ob furorem adeo vehementem, ut alter conjugum, si cohabitent, vita periclitetur : 4. si conjugum conjunctio peccatum posset parere ; ex. gr. si unus alterum instiget ad peccandum, praemissaque monitione non desistat : vel si eorum disjunctio emendationem non posset afferre, ut conjux in aliquo crimine obstinatus ad bonam frugem se recipiat probi conjugis separatione commotus : 5. ob votum longinquae peregrinationis in Terram Sanctam, quod etiam renuente uxore impleri potest : 6. si alter conjugum adulterium aut nefandae Veneris scelus commiserit.

Verum non permittitur ob adulterium, si mulier invita fuerit compressa, aut decepta quod adulter se maritum simulaverit : vel si vir ipse adulterium uxori suaserit : vel si vir ipse reus sit adulterii : vel si culpam uxori remiserit cum ea post adulterium sibi jam notum coucumbens.

His causis cessantibus etsi mulier egerit poenitentiam sui delicti, tamen vir non cogitur uxorem dimissam recipere, quamvis ex charitate id possit : at uxorem adulteram, et in prava consuetudine permanentem dimittere omnino debet, ne turpitudinis patronus esse videatur.

Causis divortii expositis notare oportet: 1. ex iis pro cosuum diversitate divortium posse fieri, vel qnoad thorum tantum, vel quoad thorum, et habitationem: 2. posse fieri in perpetuum, ut in prima et ultima causa, modo ad tempus, ut in ceteris statim ac divortii causa cessaverit: 3. nulla opus est judicis auctoritate, si divortium fiat ex mutuo conjugum consensu: 4. eam reqniri si fiat altera parte renuente: 5. judicio tamen super divortii causam pendente conjuges non esse separandos: 6. at si periculum sit in mora, aut alia justa causa urgeat, liceat parti innocenti divertere: 7. sed divortium stabilitatem acquiret post judicis sententiam.

TITULUS X.

DE ECCLESIIS.

Post Sacramenta agendum esset de officiis divinis, diebus festis, jejuniis, indulgentiis, cum hae res ad animarum salutem spectent, et sensibili quadam substantia obtegantur quemadmodum sacramenta: tamen brevitatis causa eas omittimus explicare.

Sequitur igitur alterum Ecclesiasticarum rernm genus, earnm scilicet, quae ad divini cultus exercitium spectant, vel *directe*, ut Ecclesiae, altaria, omnisque sacra supellex, vel *mediate*, ut bona temporalia, quibus et sacra parantur, et ministri altaris substentantur. De singulis suo ordine disseremus, et primum de Ecclesiis, quarum nomine hic intelligimus aedificia cultus divini peragendi gratia extructa, et solemni ritu consecrata, aut benedicta. Omnis, quae est de Ecclesiis disputatio, versatur circa diversas earum species, aedificationem, reparationem, benedictionem, et immunitatem.

§. I.

De diversis Ecclesiarum generibus.

Ecclesiarum divisio proficiscitur a majori vel minori earum dignitate, et ex juribus. Nam siqua Ecclesia nonnullis juribus gaudet supra unam vel alteram Ecclesiam, illa dicitur matrix, hae filiales; si coetum habet clericorum sive

regularium sive saecularium in ea residentium, dicitur conventualis; si collegium habet Canonicorum sacras functiones in ea exercentium, dicitur Collegiata; si certum habet territorium, et populum sub Sacerdotis cura Episcopi auctoritate, dicitur Parochialis; si Episcopus in ea praesidet, dicitur Cathedralis; si Archiepiscopus Metropolitana; si Primas Primatialis; si Patriarcha Patriarchalis.

§. II.

De aedificandis vel reparandis Ecclesiis.

Quoniam Ecclesiam sine Episcopi auctoritate construere semper vetitum fuit, sequitur: 1. ut is possit prohibere, si quis absque ejus consensu Ecclesiam aedificat: 2. ut is si non contradicat, tacite consentire praesumatur: 3. ut si vetante Episcopo fabricata fuit Ecclesia, nullum in ea jus ne patronatus quidem fundator acquirat: 4. ut antequam Ecclesia extruatur, Episcopus vel ejus Delegatus ad locum aedificii accedens debeat crucem humi affigere, primum lapidem jacere, ceteraque facere juxta formam in Pontificali statutam: 5. nihil obesse si quis in domo sua oratorium faciat ad orandum. Quamvis autem pium et laudabile sit Ecclesias construere, tamen id passim, et sine delectu fieri ne permittat Episcopus.

Causae legitimae novas erigendi Ecclesias sunt: 1. tale populi incrementum, ut vetus Ecclesia Parochialis populo in eam convenienti satis non sit. Itaque si populo quamvis aucto par quidem est Ecclesia parochialis, impar autem unus rector, tunc non debet alia Ecclesia construi, sed ejus rector cogi, alios Sacerdotes in auxilium assumere.

2. Est talis locorum distantia vel difficultas, ut Parochiani sine magno incommodo aut vitae discrimine nequeant parochiam adire ad Sacramenta percipienda, divinaque officia audienda. Verum in hac novae Parochiae erectione plura servanda sunt. 1. Rector veteris Ecclesiae, aliique quorum interest audiendi sunt; qui si injuste renuant, poterit Episcopus, illis etiam invitis, ad novam progredi erectionem: id quod multo magis procedit, cum nova Parochia aliunde dotatur: 2. Novae Ecclesiae peculiares reditus assignari debent tum pro congrua rectoris substentatione, tum pro sacra supellectile, luminaribus, alioque Ecclesiae

ornatu. Quamobrem ei dabitur portio quaedam redituum Ecclesiae matricis, eique solventur decimae, oblationes, aliaque jura Parochialia a novis parochianis: 3. Matrici Ecclesiae aliquid annuatim in signum subjectionis praestandum erit a filiali, quemadmodum Episcopus statuet.

3. Causa est si fideles sine imminenti periculo nequeant in unum convenire, sic leprosis, aliisve contagioso morbo laborantibus, nova ad eorum usum construitur Ecclesia.

4. Causa est si Episcopus pro sua sepultura Ecclesiam erigit, eique centesimam partem redituum Ecclesiae, cui praeest, det in dotem, dummodo id fiat absque gravi suae Ecclesiae detrimento; secus noxium praedecessoris factum poterit a successore revocari.

5. Causa est novi Monasterii constructio; Monachis enim ad ipsam monasticae vitae institutionem concessum est, ut propriam habeant Ecclesiam Episcopi auctoritate erectam.

§. III.

De Ecclesiis reparandis.

Doctores Concilio Tridentino cap. 7. sess. 21. *de reform.* inhaerentes has regulas tradunt ad cognoscendum, qui, et quo ordine teneantur Ecclesias reparare. 1. Tenetur auctor damni, ejusque haeres: 2. si Ecclesia peculiares habet reditus pro fabrica destinatos, vel alios quosvis proventus ejus oneribus ferendis addictos, ex iis Ecclesia debet reparari: 3. si forte aliquod statutum sit, quo privatae familiae suis sumptibus Ecclesiam, cum opus fuerit, debeant reficere, huic statuto parendum est: 4. si loco statuti vetus ac certa consuetudo affertur, ob quam privati aliqui cives reparationis expensas facere cogantur, ea consuetudo erit observanda: 5. si nullum statutum, aut consuetudo sit, tunc rector Ecclesiae tenetur ad reparationis expensas hoc modo: si templum sit Cathedrale, Episcopus conferet quartam partem redituum mensae episcopalis: si Parochiale, Parochus conferet eos tantum beneficii fructus, qui supersunt post honestam sui ipsius substentationem: igitur non admiscebit expensas, quae fiunt pro alendis consanguineis, vel pro sui generis conditione servanda, et cum Parocho teneutur pro parte, qui cum eo Parochiae pensiones sumunt, nisi

forte concessae fuerint a quovis onere immunes, ut plerumque contingit: demum cum Parocho tenentur omnes, qui in eadem Ecclesia simplex beneficium obtinent, etsi ab alia Ecclesia fuerint eo translati, et Beneficiarii Palatinorum privilegiis fruantur; verum ex beneficiis simplicibus ante detrahentur expensae necessariae pro oneribus beneficii sustinendis, et alimenta Beneficiarii, nisi haec is aliunde habeat, quae regula servanda erit etiam in reparandis Ecclesiis illorum beneficiorum, quae non in alia Ecclesia sita sunt, sed propriam habent: 6. his modis deficientibus omnino tenetur Patronus, cui proinde consentaneum temporis spatium praefinitur, quo vel templum restauret, et si necessitas postulat, rursus aedificet, vel juri patronatus renunciet: 7. denique si Ecclesia nequaquam sit patronata, tunc populus subire debet expensas omnes pro parochiali Ecclesia seu reparanda, seu aedificanda, atque ad has expensas, si in capita imponantur, tenentur omnes Parochiani, si pro praediis, tenentur etiam ii qui bona possident in ejus Parochiae finibus licet alibi degant.

§. IV.

De Consecrandis, et Reconciliandis Ecclesiis.

Vetitum est sacra officia peragere in Ecclesia, nisi primum consecretur, vel saltem benedicatur, vel reconcilietur si fuerit polluta.

Consecratio fit tantum ab Episcopo, non a Presbytero, nisi hic habeat Summi Pontificis privilegium. Quovis die fieri potest, quamvis fieri soleat die festo: semel facta nunquam iteratur, nisi vel tota, vel pene tota, vel majori ex parte elapsa aut exusta reparari contingat, vel de ejus consecratione dubitetur. Et quamvis diu differatur nova consecratio, tamen antiquae dedicationis officium non omittitur. Ritus Consecrationis extat in Pontificali Romano.

Ut Ecclesiae, sic et Altaris est consecratio, quae ex praesenti Ecclesiae disciplina sejungitur ab Ecclesiae consecratione. Fit solum ab Episcopo, non iteratur nisi altare vel frangatur, vel a basi ubi fuerit affixum evellatur. Quousque Ecclesia consecretur ex Episcopi venia per Presbyterum benedicitur, ut officiis divinis evadat idonea. Ritus benedictionis est in Rituali Romano.

Ecclesia seu consecrata seu benedicta violatur: 1. injuriosa humani sanguinis effusione: 2. homicidio etiam absque sanguinis effusione patrato: 3. voluntaria humani seminis effusione: 4. infidelis, aut excommunicati vitandi sepultura.

Si erit consecrata, reconciliari debet ab Episcopo; si tantum benedicta, a Sacerdote; ritusque reconciliationis est in Rituali Romano. Verum si polluta fuerit per sepulturam infidelis aut excommunicati, cadaver ante omnia, si discerni possit, effodiendum erit.

Reconciliata Ecclesia reconciliatur etiam Secretarium, et conjunctum coemeterium, quae duo simul cum violata Ecclesia polluuntur: at polluto coemeterio, non polluitur Ecclesia; principale enim trahit accessorium, non e contra.

§. V.

De Immunitate Ecclesiarum.

Ecclesiarum immunitas est libertas illis competens ab eo omni, quod minime decet sanctitatem loci. Duo sunt immunitatis effectus, unus ne in Ecclesiis fiat quivis actus vel profanus simpliciter, multoque magis si inhonestus, injustusque sit.

Prohibentur ergo fieri in Ecclesiis: 1. omnis negotiatio, aut venditio; tamen contractus facti valent: 2. saecularia judicia tum civilia, tum criminalia, et siquis ausus fuerit ea facere irrita sunt, et poena anathematis decernitur adversus eum, qui judicia criminalia fecerit in Ecclesia: 3. conciones civiles, publica comitia, conventus societatum seu collegiorum saecularium, convivia, comoediae, ludi theatrales, cantus lascivi: etsi laicis vetiti non sunt actus jurisdictionis voluntariae, neque Ecclesiasticis ecclesiastica judicia, tamen haud decet ea fieri in Ecclesia.

Alter immunitatis effectus est jus asyli, quo debitores, et rei criminum ad Ecclesiam confugientes tuti sunt, neque possunt illinc divelli seu vi, seu dolo, seu blandis verbis, et qui secus fecerit excommunicationis poenam incurrit Summo Pontifici reservatam.

Quamvis jus asyli competit Ecclesiis non solum jure Ecclesiastico et civili, sed etiam naturali, tamen potuit humanis legibus limitari, ne improbi spe asyli magis incita-

rentur ad crimina patranda. Jure communi gaudent immunitate quaecumque Ecclesiae non consecratae etiam, sed tantum benedictae, etiam pollutae et nondum reconciliatae, etiam interdictae, nisi fuerint interdictae et desertae ob ruinam.

Immunitate gaudent Sacraria, Porticus, Tectum, Atrium, Turris campanaria, quae intra passus triginta ab Ecclesia distat, Coemeteria, Palatium Episcopi et Cardinalium, Domus Parochialis, in qua Parochus habitat, Domus Canonicales et Sodalitiorum, quae eorum Ecclesiis sunt conjunctae, Hospitalia, similiaque loca Episcopi auctoritate constructa, publica Oratoria perpetuo sacris addicta, Monasteria cum hortis, areis, stabulisque animalium, et domibus famulorum intra septa monasterii extantibus.

Sacerdos Eucharistiam deferens asylum etiam praestat ei, qui tantum se associat comitantibus. Denique Canone 6. et 35. Caus. 17. quaest. 4. jus asyli traducitur ad passus 40. extra Cathedralem, ac passus 30. extra Ecclesiam inferiorem. Quamvis autem id antiquatum modo esse tradit Cardinalis de Luca disc. 12. n. 27. *Miscellaneorum*, ac solum obtinere dicit Pignattellus *consultation*. 426. tom. 1. ubi consuetudine receptum est; tamen teste Fagnano sacra Congregatio immunitatis indistincte jussit eorum passuum extensionem, usumque in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis obtinere.

Publicas ob causas jure asyli privantur: 1. Tum viarum grassatores, qui vias publicas vel vicinales obsident praedae causa, si duas saltem grassationes fecerint absque caede vel mutilatione, vel unam, si mors aut mutilatio evenerit: tum publici latrones, qui in domibus privatis homines vi aggrediuntur et spoliant, caedem aut vulnera se defendentibus inferentes: 2. Agrorum depopulatores, quomodocumque id fecerint publice vel clam, die, vel nocte, domino ut noceant, sibi ut consulant: 3. Qui hominem interficiunt aut mutilant, cum aut laesus, aut reus, aut uterque staret in Ecclesia vel Coemeterio: 4. Sicarii, qui alieno jussu mortem inferunt alicui, certo praemio aut mercede promissa licet soluta non fuerit, et illi qui eos conducunt, aut domi excipiunt, dummodo mandatum fuerit impletum. Utrique dicuntur Rei assassinii, seu Assassini. 5. Homicidae, nisi casus, vel justa sui defensio homicidio causam dederit, cujusvis sexus, generis, conditionis illi

fuerint, et quovis modo rei sint homicidii, sive mandato, sive consilio, modo majores sint viginti annis: 6. Judaeus Christianam Religionem susceptam deserens, et Haereticus: at si ad Ecclesiam ob alia crimina confugiunt, quam desertae Fidei, gaudent jure asyli: 7. Qui laesae majestatis reus est, quovis modo deliquerit adversus suum principem, eumque supremum: 8. Qui confugientes ad Ecclesiam impediunt, vel eos inde violenter abducunt: 9. Qui in literis Apostolicis falsi crimen admiserint: 10. Qui in monte Pietatis, aut aliis similibus locis administrandis tale falsi, aut furti crimen commiserint, ut poenae mortis subjiciantur: 11. Qui privatim cudunt aut vitiant, vel conflant monetas aureas et argenteas etiam aliorum Principum, si ibi sint in commercio: 12. Tandem qui simulato curiae nomine domos alienas invadunt, ibi rapinas faciunt, vel hominem caedunt aut mutilant.

Itaque si Rei sceleris excepti ab Ecclesia sint extrahendi, requiritur: 1. auctoritas judicis ordinarie ecclesiasiastici, proindeque 2. si dubium sit an criminis qualitas excludat asylum, id a solo judice Ecclesiastico erit cognoscendum: 3. in judicio satis erunt indicia quae ad capturam valent decernendam: 4. in traditione Rei Curiae saeculari debet interesse aliquis Ecclesiasticus ab eodem judice designandus: 5. qui exigat obligationem in forma juris validam, reum restitutum iri Ecclesiae sub poena excommunicationis latae sententiae, si extractus diluerit indicia.

TITULUS XI.

DE CAPPELLIS, ET ORATORIIS.

Cappellae, et Oratoria, ut modo accipiuntur, sunt sacella posita vel in agris, vel in civitatibus, vel in domibus magnatum sacris extraordinariis addicta: extraordinariis inquam, nam pro sacris de more habendis destinantur Ecclesiae Cathedrales, Conventuales, Collegiatae, vel Parochiales.

Sunt duplicis generis, publica vel privata. Publica ad publicum usum construuntur; idcirco non solum publicam habent januam, per quam cuivis e populo patet aditus, et campanam, per quam populus ad sacra vocatur; sed etiam

Episcopi auctoritate aedificantur et benedicuntur, semelque electa in profanos usus amplius converti nequeunt. Privata sunt ad privatorum usum, idcirco ut in domibus arbitrio Domini construuntur, sic ejus voluntati queunt tolli, ibique preces tantum fieri licet, non Missae sacrificium; ad hoc enim opus est Sedis Apostolicae auctoritate, quae amplioribus, vel angustioribus limitibus eam veniam concedere solet.

Qui eam obtinuit, nequit illa uti, nisi Ordinarius vel ejus Delegatus Oratorium ante visitans et approbans obtentae facultatis usum concedat.

TITULUS XII.

DE SACRIS VESTIBUS, VASIS, CETERISQUE AD ECCLESIAM PERTINENTIBUS.

Sacram supellectilem constituunt sacra indumenta Sacerdotum et ministrorum, vasa quae adhibentur in re divina peragenda, omnia demum Ecclesiae et Altaris ornamenta seu instrumenta.

Tam Sacrae Vestes, quibus in Sacrificio utimur, quam lintea, et cuncta altaris instrumenta benedicuntur. At Vasa, quibus in sacrificio opus est, consecrantur sacri chrismatis unctione.

Pertinent etiam ad Ecclesias Campanae, quae certis ritibus in Pontificali descriptis debent ab Episcopo benedici antequam adhibeantur.

Has autem res non solum consecrare, sed etiam benedicere certissime pertinet ad solum Episcopum. Et dubitatur solum, an Episcopus possit simplici Sacerdoti delegare benedictionem earum rerum, quae non consecrantur, ex. gr. vestium etc. cum alii putent eam facultatem dari posse tantum a Summo Pontifice, alii etiam ab Episcopo: tutius tamen erit illam obtinere a Sede Apostolica, quoniam sic se habet usus Episcoporum in hoc casu ad eam confugientium.

TITULUS XIII.

DE SACRIS IMAGINIBUS, ET RELIQUIIS.

Prosequimur explicare eas res, quae immediate ad divinum cultum pertinent. Hujusmodi etiam sunt non modo imagines et sculpturae Deum, Christum exhibentes, ejusque Passionis Sanctissimae instrumenta, sed etiam Sanctorum imagines, signa, et reliquiae; per cultum enim, quem Sanctis deferimus, colimus ipsum Deum in servis et amicis suis, quemadmodum Regem honoramus, cum ejus imaginem, ministrum vel amicum honore prosequimur. Hac de causa licet in Sanctorum honorem Festa instituere, sacras aedes, vel altaria extruere, vota nuncupare, eorum reliquias et imagines fidelium veneratione excolere, in publicis supplicationibus deferre etc.

Cultus Sanctorum duplex est, publicus vel privatus. Publicus est, qui fit nomine Ecclesiae tamquam institutus ab ea sive fiat publice sive occulte. Privatus est, qui non Ecclesiae nomine exhibetur, sed ex privata devotione colentis, ex. gr. per preces, jejunia etc. sive haec fiant occulte sive palam.

Sancti in duplici classe sunt; alios enim tales existimamus solum, quia cum opinione vel fama sanctitatis, et miraculorum decesserunt: hos cultu privato solum venerari licet; alii vero quia ab Ecclesia beatificantur, vel canonizati sunt cultu etiam publico possunt coli.

Beatificatio est legitima Pontificis concessio Regno, Provinciae, Dioecesi, vel Ordini regulari facta, ut aliquis tamquam cum Christo in coelis regnans certo publico cultu, ex. gr. recitatione divini officii, celebratione Missae, expositione publica reliquiarum vel imaginum ejusdem, Ecclesiae vel altaris in ejus honorem erectione ibi venerari, et invocari possit.

Canonizatio proprie sumpta est solemne Sedis Apostolicae judicium, et expressa definitio sanctitatis et gloriae alicujus, qui solemni caeremoniarum pompa Sanctorum catalogo inscribitur, et publice totius militantis Ecclesiae venerationi proponitur, eique honores Sanctis debiti decernuntur. Quamobrem in ea plenior ac longior inquisitio fit quam in beatificatione, quae haud inepte dici potest quaedam particularis canonizatio.

De Reliquiis autem et imaginibus peculiariter est notandum : 1. Reliquias esse tum corpora Sanctorum eorumque partes, tum vestes aliaque eorum usu sacrata, tum instrumenta martyrii, ex. gr. funes, cruces etc.: 2. novas reliquias non posse exponi publico cultui nisi ante probentur a Romano Pontifice: quod si certo constet, esse alicujus Sancti antiquitus approbati satis erit auctoritas Episcopi: 3. Episcoporum esse in reliquiarum, et imaginum veneratione removere omnem superstitionem, turpem quaestum, ac providere, ut nihil inordinatum, profanum, vel inhonestum appareat, nullaque insolita imago, ne in loco quidem vel Ecclesia exempta ponatur, nisi sua ante auctoritate probetur; res autem difficiliores post habitam Concilii Provincialis sententiam ad Romanum Pontificem deferre, ut nihil novum, aut in Ecclesia hactenus inusitatum eo inconsulto decernatur.

TITULUS XIV.

DE DECIMIS, PRIMITIIS, ET OBLATIONIBUS.

Ad secundum genus rerum Ecclesiasticarum retulimus non modo illas, quae ad divinum cultum immediate pertinent, sed etiam mediate, uti sunt bona, quibus ministri altaris substentantur, et sacra parantur. De his igitur modo agendum, in quibus primum locum obtinent decimae, primitiae, et oblationes.

Decima est certa pars fructuum vel lucri. Dicitur certa pars non decima: nam aliquando minor ea, vel major est ob diversam locorum consuetudinem, qua fere omnis quaestio Decimarum definitur.

Decimarum aliae sunt praediales, aliae personales, aliae mixtae.

Praediales sunt, quae debentur ex fructibus praediorum sive urbana illa sint sive rustica. Sed ex praediis urbanis decimae praestantur solum si ea locantur. Decimae autem praediales dicuntur majores si penduntur de frumento, vino, oleo, aliisque fructibus distinctioribus; minores vel minutae si de leguminibus, et oleribus; novales si de agris recens excultis, ex. gr. si palus exsiccetur.

Personales sunt, quae solvuntur ex rebus industria et opera acquisitis, ex. gr. ex lucro honesto cujuscumque negotiationis, militiae, venationis. 8

Mixtae, quae solvuntur ex fructibus pecudum, idest foetu, lacte, lana etc.

A Personalibus differunt Decimae praediales et mixtae: 1. quod hae debentur ne illis quidem deductis expensis, quae fiunt ad fructus colligendos: nam fructus praediorum dicuntur sine impensarum deductione, at personales solvuntur deductis antea expensis: praestantur enim ex lucro, quod illis deductis intelligitur: 2. Praediales debentur, quicumque sit praediorum possessor etiam Judaeus, vel Paganus: nam decimae praediales censentur onus reale, quod sequitur rei possessorem; at personales ab his minime debentur. Verum in utrisque haud deducitur id quod impenditur ad conservandum statum ipsius rei, ex qua sunt decimae, ex. gr. ad restaurandam molam, ad fulciendam domum. Decimae jure antiquo et communi parochis tantum debebantur; nam, ut ait D. Thomas, radix solutionis decimarum est debitum, quo seminantibus spiritualia debentur temporalia: id quod solis Parochis convenit. At modo hae regulae servandae sunt.

1. Decimae praediales praestantur Rectoribus Parochialibus intra quorum fines praedia jacent, etsi Dominus habitet in alia Parochia, nisi obstet consuetudo.

2. Personales praestantur Parochis, ubi quis percipit Sacramenta.

3. Mixtae debentur Parochiae ubi sunt animalia, quae si in una Parochia cubant, in alia vel pluribus pascantur decimae sunt inter eas dividendae.

Jure extraordinario et peculiari decimae praeter Parochos competunt iis, qui decimas vel jus decimandi acquisiverunt: 1. unione beneficii Parochialis alicui Capitulo, Monasterio etc.: 2. privilegio Summi Pontificis: 3. legitima conventione, ex. gr. permutatione decimarum unius Ecclesiae cum decimis alterius. Conventio autem ut sit legitima, haec duo potissimum sunt attendenda: adhibeantur primo solemnitates in rerum Ecclesiarum alienatione necessariae: deinde caveatur a vitio Simoniae, scilicet ne ipsum jus decimandi in laicos transferatur, aut ipsis clericis detur pro re temporali.

Nam jus accipiendi decimas spirituale est, cum nascatur ex sacri ministerii exercitio, et idcirco competit solis Clericis, qui curam animarum habent vel habere possunt, eaque de causa jus illud dari nequit pro re temporali.

Res autem, quae nomine decimarum dantur, ex. gr. frumentum, oleum, vinum etc. sunt corporales, unde possunt cum alia re temporali compensari, sicque emi vel conduci, imo possunt etiam ad Laicos pervenire.

4. Demum praescriptione quadragiuta annorum, si quis cum aliquo titulo decimas exegerit per illud temporis spatium, etsi titulus ille vitio aliquo sit infectus; vel praescriptione immemorabili, cujus nempe ignoratur initium, si decimarum possessor nullum titulum possit ostendere.

Decimas jure communi solvere debent 1. omnes Christiani ne ipsis quidem saecularibus principibus exceptis: 2. Infideles etiam ac Judaei si praedia habeant decimis obnoxia: 3. ipsi Clerici, quamvis a Parocho sacramenta non recipiant, tam de bonis suorum beneficiorum decimas solvunt, nisi ea ad Ecclesias sine onere decimarum pervenerint; quam de bonis patrimonialibus licet pro sacro patrimonio constitutis, nisi obstet consuetudo: 4. demum Monachi et Regulares decimas solvunt exceptis decimis personalibus, illisque, quas deberent pro suis hortis, nutrimentis animalium, et terris novalibus, quae scilicet primum incultae postea eorum manibus seu impensis coluntur.

A decimis praestandis eximi quis potest privilegio, praescriptione seu consuetudine, denique pacto. Privilegio eximuntur Clerici et Regulares magis, minusque ut modo vidimus. Praescriptione, quae debet esse immemorabilis si est absque titulo, quadragiuta annorum si est cum titulo. Praescriptio locum habet quando decimis vigentibus aliquis in eo loco exemptionem ab illis praescripserit vel habuerit. Consuetudine acquiritur exemptio a decimis cum in aliquo loco earum usus generaliter obsolevit: sic decimae personales, praediales, minutae fere ubique in desuetudinem abierunt, mixtae autem multis in locis.

Pacto demum remittuntur aut decimae, aut ipsum jus decimandi. Si primum, satis est decimatoris consensus. Si alterum, opus est Romani Pontificis auctoritate. Nequit tamen illud remitti nisi ex causa onerosa, idest transactionis vel compensationis alterius rei spiritualis, ex. gr. si religiosi se obstringunt, conciones in Parochia habere.

Primae fructuum obventiones olim veteri lege quotannis Deo offerri debebant, quae proinde dictae fuerunt primitiae; has etiam cum decimis primi Fideles ex Judais-

mo conversi ad Christnm sua pietate in Ecclesiam induxerunt.

Oblationes generaliter acceptae decimas quoque et primitias comprehendunt: at peculiariter acceptae sunt illae spontaneae largitiones, quas fideles ad altare afferebant pro sacrificio, et ministrorum altaris substentatione, ex. gr. triticum, racemos, oleum, thus, vel in domum Episcopi deferebant, ex. gr. lac, mel, legumina, volatilia, pecudes, aliosque fructus. Quemadmodum oblationibus ad altare factis pro sacrificio successit oblatio denarii, unde orta est missarum eleemosyna; ita primitiis, ceterisque oblationibus successerunt emolumenta stolae, quae nempe dantur in suscipiendis sacramentis, in exequiis mortuorum, in dedicationibus Ecclesiarum, aliisque sacris officiis peragendis. Primitiae igitur et oblationes aut obsoleverunt alia praestatione pro illis inducta, aut si alicubi adhuc obtinent propria cujusque loci consuetudo spectanda est.

In illis tamen haec attendenda sunt: 1. Sacramenta et reliqua sacra officia gratis omnino praestanda sunt a Clericis: 2. Laici tenentur ad consuetas oblationes, cogique etiam possunt ab Episcopo, si renuant eas praestare: 3. Illae, nisi obstet consuetudo, vel contraria offerentium voluntas, de jure pertinent ad Parochos, quia censentur dari propter Sacramentorum administrationem.

TITULUS XV.

DE CENSIBUS, EXACTIONIBUS, ET PROCURATIONIBUS.

Emolumenta jam explicata magis competunt clericis inferioribus: at propria sunt Episcopi ea, de quibus agendum erit in hoc titulo, quaeque omnia veniunt sub nomine census.

Nam census generaliter acceptus hic significat certam pecuniae vim, quae ex reditibus Ecclesiasticis solvitur Episcopo. Dividitur autem in quinque species, quae sunt Census strictius acceptus, Cathedraticum, Subsidium charitativum, Procuratio, Portio Canonica. Census strictius acceptus est pensio annua, quam Episcopus potest constituere non modo in Ecclesia recens fundata et dotata cum eam consecrat vel in favorem sui, consensu fundatoris accedente, vel in favorem Patroni id ex fundationis pacto volentis;

sed etiam in alia Ecclesia, annuente Capitulo, dum eam concedit piis locis, aut subtrahit a sua jurisdictione. Praeter hos casus, ac etiam si Episcopus vellet veterem censum augere aut novum imponere, Apostolicae Sedis venia opus est.

Cathedraticum, quod etiam dicitur Synodaticum est quaedam pecunia, quae in summa duorum solidorum, vel in alia quantitate per consuetudinem inducta penditur Episcopo in Synodo in signum subjectionis Ecclesiae Cathedrali a singulis Ecclesiis saecularium, vel Beneficiis etiam simplicibus.

Subsidium charitativum, quod etiam dicitur exactio, est tributum exiguum, quod Episcopus imponit Ecclesiis, Clericis sibi subjectis, vel ad certum usque tempus, vel una vice solvendum.

At jure novissimo saltem in Italia potest Episcopus uti hoc subsidio solum in primo suo ingressu ad eam quantitatem, quae ante per annos 40. dari consuevit, etsi priores Episcopi soliti fuerint illud exigere in primo suo ingressu. Ob alios quoscumque casus absque Sedis Apostolicae licentia nequit imponi.

Procurationis nomine intelligitur hospitium et alimenta, vel certa vis pecuniae, quae sponte data pro his rebus accipi potest, Episcopo Dioecesim visitanti praestanda ab iis, qui visitantur. Cum igitur ea detur ob visitationem, siquae personae, Ecclesiae, vel loca pia a visitatione Episcopi sunt immunia nullam dare debent procurationem.

Sunt tamen quaedam personae Ecclesiasticae vel loca, quae visitandi jus habet Episcopus, quin ullam ab iis possit exigere procurationem. Sunt autem 1. Personae Ecclesiasticae, et loca omnia civitatis in qua residet: 2. privata oratoria etiam illa, quae in monachorum granciis sita sunt: 3. Monasteria monialium nisi aliquod in earum Ecclesiis sit beneficium: 4. Hospitalia, et cetera pia loca hospitalium nomine comprehensa: 5. illi omnes, quos Episcopus visitat jure delegato, ex. gr. conventus regularium, in quibus non viget legitimus Religiosorum numerus: 6. tandem quamvis possit Episcopus eadem loca pluries in anno visitare, tamen una sola procuratione contentus esse debet.

Portio Canonica est quarta pars earum rerum, quae Ecclesiae vel alicui pio loco relinquuntur; at hodie fere

ubique consuetudine sublata est. Sin alicubi viget, non penditur a locis piis, nec a piis legatis, quae pro anniversario, Ecclesiae fabrica, aliisque necessitatibus relinquuntur, neque a monasteriis exemptis.

TITULUS XVI.

DE BENEFICIIS.

§. I.

De Beneficiorum origine.

Emolnmenta Clericis et Ecclesiis debita hactenus explicata sunt res mobiles pro necessario usu ab iis consumendae, et a fidelibus quoties opus fuerit suppeditandae. Rebus autem bujus generis tantum Ecclesiae licuit uti primis temporibus; tunc enim cum ob frequentes Imperatorum persecutiones, legesque civiles adversas bona immobilia aut comparare non potnisset, aut comparatas saepius amisisset: quamvis autem saeculo III. Ecclesia unam aut alteram rem immobilem possideret; tamen reddita pace a Constantino brevi tempore bonis immobilibus ditata est.

At tum illae Fidelium oblationes rerum mobilium, tum bona immobilia ab Ecclesiis possessa erant sub plena Episcoporum administratione, qui tamen rationem suae administrationis reddebant in Synodo provinciali.

Modus administrationis hic erat: 1. omnia ea bona et emolumenta communia erant pro omnium Clericorum substentatione, et rerum sacrarum exercitio, et pauperibus sublevandis: 2. ex communi Matricis Ecclesiae aerario mittebatur in singulos dies, vel hebdomadas, vel menses portio ad Clericos, qui regebant Ecclesias per Civitatem vel Dioecesim constitutas, ut magis eorum absentiae vel praesentiae conveniret, et tantum quantum cuique opus esset. Postea tamen in Ecclesiis praesertim occidentalibus mos invehi coepit in quatuor partes dividendi reditus omnes, quarum una Episcopo, altera Clericis, tertia pauperibus, quarta fabricae reservaretur: 3. in hac locorum Ecclesiasticorum administratione, et distributione Episcopus administris utebatur praesertim Archidiacono, et Oeconomo,

qui Episcopo rationem redderent: 4. si gravior casus evenisset in bonorum dispensatione, ex. gr. si bona vendere oporteret ad redimendos captivos, totius Cleri consilium Episcopus adhibebat: 5. Ecclesiasticis legibus severissime fuit semper prohibitum, ne possessiones Ecclesiae alienarentur: 6. demum saeculo V. vertente, sextoque ineunte permitti coepit, ut illae darentur clericis benemeritis ad certum tempus, vel etiam ad eorum vitam perfruendae.

Ejusmodi concessiones, quae primum rarissimae erant, sensim frequentius usurpatae, et deinceps factae non ut initio ob personalia clericorum merita, sed ut Clerici, quibus Ecclesiae praedia dabantur, officium spirituale in ea exercerent; beneficia tandem, uti modo sunt, induxerunt.

§. II.

De Beneficiorum natura, et divisione.

Beneficium est jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae propter officium spirituale Ecclesiastica auctoritate constitutum.

Ex hac definitione facile quis videt: 1. in beneficio duo includi, officium spirituale, idest ad divinum cultum et Ecclesiastica munia obeunda ordinatum, et jus percipiendi fructus, quod ab altero separatum appellatur *praebenda*.

2. Haec duo inter se ita conjungi, ut praebenda detur propter officium; qui enim altari servit, de altari vivat necesse est, et sane usque ad saeculum XI. nullum erat beneficium, cui adnexa non esset aliqua spiritualis administratio: at ab eo tempore cum forte vel ipsa rei necessitate, vel Clericorum desidia, defecisset in pluribus beneficiis spiritualis muneris exercitium, remanentibus beneficii reditibus et titulo, factum est, ut officium illorum evaserit sola horarum canonicarum recitatio, quae est officium cunctis beneficiariis commune.

3. Beneficium nonnisi quam Episcopi auctoritate posse constitui, ab eo enim dependent ministeria Ecclesiastica, quorum distributio fit in beneficiorum fundatione.

4. Ecclesiastica auctoritate conferenda esse beneficia, nam ad Episcopum spectat tum clericos instituere, tum iis convenientem muneris Ecclesiastici partem assignare.

5. Demum beneficium sive ad vitam Beneficiarii conferatur, ut in beneficiis saecularibus, sive ad tempus legitimum et consuetum, ut plerumque in beneficiis regularibus, rite dici jus perpetuum seu stabile, quia proprio nomine exercetur, et nequit ad libitum revocari.

Multiplex beneficiorum partitio. 1. Dividuntur in *saecularia*, et *regularia*; haec dantur regularibus utpote instituta pro illorum disciplina, ut Abbatiae, et Prioratus, Commendae ordinum militarium, et omnia officia claustralia suis propriis donata reditibus. Illa dantur clericis saecularibus, ut Parochiae, Canonicatus etc.

In hac beneficiorum divisione observandum est: 1. beneficia saecularia saecularibus, regularia regularibus danda esse: 2. saecularia regularibus dari posse solum si Clerici saeculares desint, et Apostolica obtineatur dispensatio: 3. beneficia regularia esse demonstrantur, vel ex eorum natura, si regularium disciplinam et regimen habeant adnexum, vel fundatione, si in ea cautum est, ut sint pro regularibus, vel unione si monasteriis unita fuerint, vel praescriptione 40. annorum, si per id temporis semper a regularibus fuerint administrata: 4. in dubio beneficium praesumitur saeculare.

2. Dividuntur beneficia in *collativa*, quae ad liberam ordinarii collatoris voluntatem conceduntur; *electiva*, quae ab eo conferuntur ad alterius electionem; *patronata*, quae is confert ad patroni praesentationem.

3. Dividuntur in *majora* et *minora*. Majora sunt, quae nomen habent Praelaturae, simulque potestatem jurisdictionis in foro externo, ex. gr. Papatus, Patriarchatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatiae cum quasi Episcopali jurisdictione. Minora dicimus, quae sunt iis inferiora, idest nullam habent potestatem jurisdictionis in foro externo, neque Praelaturae nomen.

4. Dividuntur in *residentialia*, quae conjunctum habent onus residentiae, seu ex natura ipsa beneficii, seu ex peculiari voluntate fundatoris, et *non residentialia*, quae ad residentiam non obligant.

5. Demum dividuntur in *duplicia* et *simplicia*; duplicia cum lege residentiae adjunctam habent vel curam animarum, vel dignitatem, vel personatum, vel officium, ut canonicus Theologus et Poenitentiarius, vel administrationem, ut Sacrista, Custos, vel aliquod aliud munus, ut in

omnibus canonicis est publica et solemnis horarum Canonicarum recitatio. Haec igitur beneficia respective dicuntur curae animarum, dignitates, personatus, vel officia etc.

Beneficia *simplicia* habent onus privatae recitationis divini officii, et forte aliquod aliud absque residentiae lege. Haec est communior et usitatior acceptio beneficii simplicis.

Sed aliquando beneficia licet habeant onus *residentiae*, et aliquod spirituale officium, uti sunt canonicatus, tamen appellantur simplicia, si nullam habent curam animarum in aliquem Clerum aut Populum exercendam.

Simplicibus beneficiis adnumerantur Cappellaniae et Cappellae. *Cappella* dicitur proprie, ejusque praeses rector, si constituit corpus per se et sacram habet aediculam aut etiam Ecclesiam a Parochiali sejunctam. Dicitur *Cappellania*, ejusque rector Cappellanus, si est sacellum vel altare in aliqua Ecclesia.

Utraque est verum beneficium, si Episcopi auctoritate et institutione confertur in perpetuum, tuncque dicitur perpetua; secus si rector est amovibilis ad nutum aut desit Episcopi institutio, quamvis rector sit perpetuus.

Praecipuum utriusque onus positum est in missis sive per se, sive per alium celebrandis. Si quid aliud oneris est, praesertim illud residentiae debet a Fundatoris voluntate metiri.

§. III.

De vetita Beneficiorum multitudine.

In antiqua Ecclesiae disciplina, qua nemo poterat ordinari nisi certae Ecclesiae statim adscriberetur, ut ei serviret, et ab ea substentaretur, longe difficilius erat plura habere beneficia. Unus enim non poterat diversis Ecclesiis servire: neque id facile impetrasset, quia locus alteri defuisset ad ordines, si unus duabus Ecclesiis ministraret. Frustra demum id fecisset, cum ab una vel altera Ecclesia tantum capere liceret, quantum satis esset honestae suae substentationi. Verum ad coercendam Clericorum avaritiam tunc etiam opus fuit legibus probibere, ne Clerici duabus Ecclesiis conscriberentur.

Sed harum legum major fuit necessitas postquam be-

neficia ab ordinatione sejungi coepta sunt, et simplicia beneficia inoleverunt; et cum saeculo IX. praesertim sententia irrupit, posse clericum adimplere per alium officia Curatis etiam beneficiis adnexa.

Huic igitur malo obviam itum est maxime in Conciliis Lateranensibus III. IV., et Tridentino. Unde haec disciplina sancita est: 1. ut nemo possit habere duo beneficia, quorum utrumque residentiam, servitiumque personale requirit, quae proinde dicimus beneficia incompatibilia: 2. ut justa de causa, certisque limitibus possit una persona, vel cum uno beneficio incompatibili habere beneficia simplicia, quae residentiam, ac personale servitium non requirunt, dicta proinde compatibilia, vel habere plura hujus generis.

Beneficia incompatibilia sunt duplicis generis; alia sunt incompatibilia ipso jure, ita nempe ut primum per assecutionem alterius vacet ipso jure. Hujus generis sunt tum beneficia, quae habent annexam vel curam animarum, vel dignitatem, vel personatum, vel officium licet sint sub diverso titulo idest unum in una Ecclesia, alterum in altera: tum beneficia *uniformia* sub eodem tecto, quae scilicet habent idem onus et officium eodem tempore persolvendum in eadem Ecclesia, ut duo Canonicatus ejusdem Ecclesiae. Si igitur fuerint disparata vel *difformia* licet ea sint in eadem Ecclesia ut Canonicatus, et Cappellania cum onere tantum missarum, incompatibilia non sunt.

In iis autem beneficiis primi generis incompatibilibus nulla judicis sententia opus est ut aliquis primo beneficio privetur, et qui dolo malo utrumque retinet, utroque privatur, et inhabilis efficitur ad aliud quodcumque consequendum, et ad alios ordines suscipiendos.

Hoc dolo malo seposito, ut primum beneficium vacet satis non est habita jam secundi beneficii collatio et possessio, sed requiritur ejusdem pacifica possessio: itaque si secundum beneficium sit litigiosum, solum lite finita, et sententia in favorem obtinentis data, primum vacat.

Qui adeptus est pacificam secundi beneficii possessionem, jus habet retinendi primum beneficium usque ad duos menses, ut experiatur an molestiae superveniant, ne istis inopinato insurgentibus utrumque amittat.

Incompatibilia alterius generis sunt ea, quorum prius non vacat ipso jure, sed quia retineri simul nequeunt; et

postquam alterutrum quis elegerit, altero privatur sententia judicis. Hujusmodi sunt omnia beneficia residentiae obnoxia, sed nullam curam animarum, nullam dignitatem, personatum, officium adnexum habentia, neque uniformia sub eodem tecto, ex. gr. duo Canonicatus in diversis Ecclesiis.

Beneficia simplicia, quamvis, ut diximus, sint natura sua compatibilia tum inter se, tum cum beneficiis incompatibilibus, quia nullam residentiam et personale servitium exigunt: tamen ea fiunt ex accidenti incompatibilia respectu illius, qui jam habet aliud beneficium cujuscumque generis honestae suae substentationi sufficiens, Conc. Trid. sess. 24. cap. 17. *De Ref.* Ex quo sequitur: 1. ut Episcopus habenti unum beneficium seu duplex seu simplex honestae suae substentationi insufficiens, possit beneficium simplex conferre, secus si primum fuisset sufficiens licet alterum sit insufficiens.

2. Ut nequeat eidem personae conferre tertium beneficium, quamvis duo prima sint insufficientia Clerici substentationi.

3. Utramque regulam valere, licet agatur de beneficiis juris patronatus laicorum, in iisque casibus requiri Sedis Apostolicae dispensationem.

4. Decretum Tridentini sess. 24. cap. 17. *De Refor.* non amplecti pensiones Ecclesiasticas.

A Lege, quae vetat beneficiorum multitudinem in una persona, juste datur dispensatio: 1. ob Ecclesiae necessitatem, si desint nempe plures idonei ministri, ut praesertim potest evenire in locis haereticorum: 2. ob ejusdem utilitatem; sic Episcopi Germaniae dispensantur, ut duos vel tres habeant Episcopatus: Catholicae enim religioni expedire censetur in illis regionibus, Episcopos esse magna auctoritate et potentia praeditos: 3. ob meritorum praerogativam, quae est aut generis claritas attendenda solum in filiis regum; Extravag. Joan. XXII. *Execrabilis*, aut eximia sacrarum disciplinarum scientia, quae decori et emolumento sit Ecclesiasticae rei; cap. 28. *De Praebendis.*

§. IV.

De Beneficiorum unione.

Unio beneficiorum est plurium Ecclesiarum vel beneficiorum conjunctio rite , justeque facta per legitimum superiorem. Dividitur in perpetuam seu realem , et in temporaneam seu personalem. Illa est quando duo beneficia uniuntur in perpetuum ob Ecclesiae bonum. Haec est quando duo beneficia uniuntur ad vitam beneficiarii in ejus favorem. Itaque cum ista magis sit quoddam veluti pallium , ut Cleriens possit impune retinere duo beneficia incompatibilia , merito fuit a Tridentino proscripta.

Realis unio beneficiorum quatuor modis fieri potest , quod ut intelligatur praestat initio animadvertere, Ecclesias omnes, et beneficia separari inter se et distingui a titulo; cum nulla Ecclesia nullumque beneficium sit , quod titulo careat. Sic dicitur ex. gr. Ecclesia Albanensis, Ecclesia Praenestina , beneficium S. Joannis , beneficium S. Antonii.

Hoc posito primum fit unio duorum beneficiorum, quando utrumque beneficium retinet suum titulum , et proinde retinet etiam immutata atque distincta sua jura , privilegia , onera , et bona , quae solum coalescunt in una persona , quia utriusque beneficii unus idemque est rector. Haec unio dicitur *socialis* vel aeque principalis , et sic unitae sunt Ecclesiae Cathedrales Nepesina , et Sutrina , Viterbiensis, et Tuscanensis , quarum Praeses dicitur Episcopus Nepesinus et Sutrinus , Episcopus Viterbiensis et Tuscanensis.

Altero modo fit unio duorum beneficiorum, quando beneficium inferius unitur beneficio superiori , tamquam accessorium principali , proinde retinet quidem suum titulum , sed incorporatum cum titulo beneficii superioris , et acquirit jura omnia ac privilegia illius , cum ejus rector sit etiam rector beneficii inferioris. Haec unio dicitur *servilis* , *filialis* , *accessoria* vel *subjectiva* , sic ex. gr. cum Ecclesia S. Blasii subjective unita sit Vaticano , non dicitur : Capitulum Vaticanum est Parochus S. Blasii ; sed dicitur : Capitulum Vaticanum est Parochus S. Blasii curam illam per Vicarium exercens.

Tertius modus unionis habet locum praesertim in Ecclesiis Collegiatis , quando per unionem unius cum altera, unica fit moraliter obtinens titulum utriusque Ecclesiae ,

et proinde unius Ecclesiae Canonici vel Beneficiati fiunt Canonici et Beneficiati alterius, hisque communia fiunt omnia quaeque jura et privilegia utriusque Ecclesiae licet in bonis et legibus seu oneribus utriusque restat separatio et diversitas. Sic ex. gr. unita Collegiata Ecclesia S. Laurentii cum illa S. Angeli una fieret Collegiata nominanda in posterum Collegiata S. Laurentii et S. Angeli.

Ultimus modus unionis est, quando beneficium unum supprimitur, idest ejus titulus omnino extinguitur, bona vero et aliqua forte ejusdem onera alteri beneficio addicuntur. Itaque haec unio dicitur *suppressiva*, quoniam beneficii suppressio magis est quam unio.

Quovis modo fiat unio odiosa est, quia per eam cultus divinus imminuitur, idcirco justa de causa fieri debet, nempe vel ob necessitatem, si ex. gr. Parochiae uniatur beneficium simplex, vel ipsae duae Parochiae uniantur inter se, quia nimia est illarum paupertas, neque aliter potest illis provideri: vel ob utilitatem, si ex. gr. ut amputentur lites, quae sunt inter duas Ecclesias de praeminentiis, juribus etc. illae conjungantur, aut si beneficia simplicia uniantur Ecclesiis Cathedralibus vel Collegiatis, quae sunt tenuissimi census, ne earum Canonicis desit honesta sustentatio.

Unio denique ut valeat, rite facienda est, nempe legitima potestate, servatisque solemnitatibus et regulis a jure praescriptis.

Ecclesias Cathedrales et beneficia quaevis concistorialia potest unire tantum: 1. Summus Pontifex: 2. Episcopus potest unire beneficia suae Dioecesis: 3. Capitulum sede vacante potest unire beneficia, modo nihil juribus Episcopi detrahatur: 4. Praelati inferiores possunt unire beneficia, si modo habent speciale privilegium, vel praescriptionem quadragenariam cum titulo, aut immemorabilem sine titulo, vel jurisdictionem quasi Episcopalem: 5. Legati demum a latere beneficia suae provinciae, quae possunt conferre, possunt etiam unire.

Solemnitates in beneficiorum unione servandae hae sunt: 1. ut audiatur Episcopus, si beneficia suae Dioecesis uniuntur a Romano Pontifice: 2. audiantur Praelati inferiores, omnesque ii ad quos spectat conferre beneficia, quae sunt unienda: 3. Patroni tum Ecclesiastici tum Laici, quorum praeterea consensus omnino requiritur: 4. Beneficiorum re-

ctores, at non requiritur eorum consensus; cum enim unio sortiatur effectum post eorum mortem, nullum iis infertur detrimentum: 5. Parochiani, si duo Parochiae debent uniri, et si commode audiri possunt; 6. demum consensus requiritur Capituli Cathedralis Ecclesiae, quod si injuste renuit assentiri, ejus consensus suppletur a S. Congregatione Concilii.

Tandem ob regulas a Tridentino Concilio maxime praescriptas, quaedam sunt genera beneficiorum, quae Episcopus nequit conjungere, idest: 1. beneficia libera cum beneficiis Patronatis, ne et illa cadant sub Patronatum: 2. beneficia curata cum Monasteriis, Collegiis, vel locis piis: expedit enim ut Pastor animarum curam exercens habeat omnes reditus parochiae, sitque perpetuus, quorum unum vel alterum certe deesset ex ista unione: 3. neque beneficium unius Dioecesis cum alterius Dioecesis beneficio; tunc enim una Ecclesia subjiceretur diversis Praesulibus, quod esset contra Ecclesiasticum ordinem: 4. neque beneficium unius regni cum alterius regni beneficio ob plura incommoda, quae possent inde manare: 5. neque beneficia saecularia cum beneficiis regularibus: 6. neque beneficia Sedi Apostolicae reservata, vel affecta (nisi ea unienda sint cum Ecclesiis curatis, Seminariis, vel Collegiata insigni ob eorum paupertatem) vel eidem immediate subjecta possunt uniri inter se, aut unum ex iis cum altero, quod non sit hujus generis: 7. denique nequit unire beneficia suae mensae Episcopali licet pauperi ad evitandam lucri turpis suspicionem.

§. V.

De disjungendis, dividendis, et dismembrandis beneficiis.

Beneficiorum disjunctio proprie locum habet in duobus beneficiis, quae ante cum essent distincta, rite post fuerint unita: ea igitur disjungi dicuntur, cum tollitur unio. Ut disjunctio rite fiat, requiritur: 1. ut cesset causa unionis: 2. auctoritas ejus, a quo unio facta est: 3. ut audiantur ii, quorum interest, quemadmodum in unione.

Effectus disjunctionis est, ut beneficia restituantur ad eum statum, in quo erant ante unionem, quoad omnia, nempe jus collationis etc. nisi aliter statuatur in actu dis-

junctionis: id quod ad omnes lites praecidendas opportunum erit expresse cavere.

Divisio vel sectio beneficiorum fit, cum ex uno beneficio duo fiunt vel plura, ex. gr. uno Canonicatu duo Canonicatus etc. In beneficiorum sectione divisio semper erit praebendae, seu redituum, quorum una pars uni, altera pars alteri tribuitur. At sectio quandoque cadit in ipsum officium spirituale, sive ut accuratius loquamur in ejus subjecto, ex. gr. si una Parochia dividatur in duas.

Divisio beneficiorum est prohibita de jure, quia per eam mutatur status Ecclesiae vel beneficii. Ceterum causa quandoque occurrit dividendi praesertim Cathedrales, Paroecias, et Canonicatus.

Cathedralium divisio tota pendet ab arbitrio et prudentia Romani Pontificis; de Paroeciarum divisione jam egimus in titulo X. hujus libri.

Canonicatuum divisio ut rite fiat, requiritur: 1. justa causa vel necessitatis ut esset canonicorum defectus ad omnia munera chori explenda, vel utilitatis, ex. gr. augmentum divini cultus: 2. consensus Capituli Cathedralis: 3. sufficientia redituum utrique beneficio: 4. ut audiantur, vel etiam consentiant illi, quorum potest interesse, ut diximus in beneficiorum unione.

Dismembratio seu *mutilatio* beneficii dicitur, quando unitas beneficii non tollitur, sed ex eo detrahitur pars quaedam redituum alteri causae piae vel Ecclesiae applicanda.

Id etiam de jure ordinario vetatur, tamen fieri potest si concurrat: 1. justa causa, idest vel necessitatis, vel utilitatis: 2. abundantia redituum in beneficio dismembrando: 3. indigentia illius piae causae, cui reditus decerpti applicantur: 4. consensus Capituli Cathedralis: 5. tandem ut audiatur, vel etiam consentiat is, cujus id potest interesse, quemadmodum diximus in beneficiorum disjunctione servandum esse.

§. VI.

De Beneficiorum Collatione tum in genere, tum in specie.

Ut hoc argumentum rite intelligatur, primum inquirimus, quis det beneficia, postea quibus dari possint, demum

quomodo dantur beneficia, cujusvis generis ea sint. Dari nequeunt nisi a spirituali potestate. Igitur ad Episcopum generatim spectat dare beneficia, quae sunt in Dioecesi: quemadmodum Praelati jurisdictionem quasi Episcopalem habentes dant beneficia, quae sunt in suo territorio, beneficiis curatis exceptis.

Praeter eos Romanus Pontifex etiam dat beneficia aliarum Dioecesum de *jure praeventionis*, si nempe mandat Episcopo, ut beneficium proxime vacaturum certae personae conferat. Quod genus gratiae dicitur expectativa vel jure concursus, si nempe una cum Episcopo conferat beneficium vacans, quo in casu collatio prior tempore praefertur, at in dubio, vel paritate temporis antefertur Pontificia. At post Tridentinum Concilium, et Concordata cum variis nationibus inita neuter ex iis modis amplius usurpatur. Vel jure *devolutionis*, si nempe Episcopus neglexerit conferre beneficia intra tempus a jure praescriptum (sex menses). Tandem jure *reservationis* Papa confert beneficia, quae sibi reservat per regulas vulgo dictas Cancellariae, quas Pontificatus initio quilibet Pontifex edere solet. Jure *affectionis* confert ea beneficia, quibus conferendis se miscuit, seu manus apposuit Papa: nam etsi ea collatio ob aliquod canonicum impedimentum minime valeat; tamen ob reverentiam ei debitam illud idem beneficium rursus a Papa confertur.

Beneficia nequeunt dari iis, qui sunt eorum incapaces, hujusmodi sunt non modo illi, qui aliqua detinentur irregularitate ad ordines assequendos, sed etiam qui particularem habent irregularitatem ad beneficia.

Haec irregularitas oritur pluribus ex causis: 1. ex defectu aetatis: nam pro beneficio simplici requiritur annus 14. saltem inchoatus: 2. ex defectu lenitatis pro prima quidem tonsura: 3. ex defectu coelibatus; nam conjugati nequeunt consequi beneficia; imo Clericus conjugium ineundo beneficia amittit ipso jure: 4. ex defectu Ordinis, qui necessarius est ad exercendum munus particulare illius beneficii, nisi quis illum ordinem intra annum possit habere: 5. ex defectu scientiae, quae sit par beneficii oneribus: 6. ex censuris, quibus aliquis innodatus est: 7. ex morum improbitate: 8. demum filius quamvis legitimus beneficium a patre possessum immediate nequit habere, ne quasi haereditario jure beneficia possideri videantur: qui

tamen non ex legitimo natj sunt matrimonio, nequeunt in Ecclesiis, ubi eorum Patres aliquod beneficium Ecclesiasticum habent vel habuerunt, obtinere quodcumque beneficium etiam dissimile, ut paternae incontinentiae memoria a locis Deo consecratis quam longissime arceatur.

Collatio est modus dandi beneficium. Collatio beneficiorum generatim sumpta dicitur de omnibus beneficiis, sive ad ea quis promoveatur libera voluntate Collatoris, sive ex alterius electione vel praesentatione, et sic accepta definitur collatio : *concessio vacantis beneficii absolute et canonice facta ab eo, qui spirituali potestate gaudet, personae beneficii capaci*. Dicitur *vacantis* quia nulla omnino esset si beneficium actu non vacaret, exceptis coadjutoriis Pontificia auctoritate factis. Dicitur *absolute*, idest sine ulla temporis vel conditionis adjectione, quia collatio est actus legitimus. Dicitur *canonice*, idest secundum regulas a jure praescriptas, quae partim communes sunt omnibus beneficiis, partim diversae pro diverso beneficiorum genere. Reliqua definitionis verba patent ex iis, quae diximus circa eos, qui potestatem habent dandi beneficia, et eos quibus dari possunt.

Quamvis collatio fieri possit nudis verbis, quia scriptura ad ejus substantiam non pertinet ; tamen ut facilius probetur, literae solent expediri, quae contineant, Collatorem vel motu proprio, vel praevia alterius electione, aut praesentatione secundum diversam ejus qualitatem concessisse beneficium vacans certae personae, duorumque testium subscriptione sint munitae. Collatione facta Clericus acquirit jus reale in beneficio sibi collato.

Collatio generaliter accepta dividitur in tres species, confirmationem, collationem proprie dictam, et institutionem. Nam beneficia vel libere dantur, idest ex solo jure collatoris non ad certam personam restricti, et tunc proprie dicitur beneficii *collatio*, vel dantur ei, quem aliquis ob jus patronatus ejusdem beneficii praesentavit collatori, et tunc proprie dicitur *institutio*, vel dantur ei, qui electus est, et dicitur *confirmatio*.

De electione et confirmatione egimus in libro superiori, hic agendum de collatione speciatim sumpta, et institutione. Collatio speciatim sumpta est libera beneficii concessio. De ea notandum est : 1. alicubi ita observari ut Episcopus in hac beneficiorum collatione consilium, vel etiam

consensum debeat exquirere, vel ut cum ipso Capitulo beneficium conferat, vel uterque alternatim, vel quaedam beneficia ab Episcopo, quaedam a Capitulo conferantur: si consuetudo cujusvis modi ea sit, rite erit stabilita, debet observari: 2. beneficia curata per concursum esse conferenda: 3. collationem fieri debere intra sex menses, qui computantur non a die vacationis, sed ejus habitae notitiae: quo tempore elapso jus conferendi devolvitur ad superiorem immediatum.

§. VII.

De Institutione, et jure Patronatus.

Institutio est concessio beneficii facta illi, qui collatori praesentatus est ab eo, qui jus patronatus habet illius beneficii. Episcopus igitur debet praesentatum in beneficio instituere, si praesentatio sit: 1. rite facta, idest si non verbis, sed literis in forma authentica expeditis, et legitime oblata Ordinario; quo actu infecto quilibet Patronus potest a prima praesentatione resilire, alterumque Ordinario praesentare: 2. sic facta de eo, qui ad beneficium habet qualitates non solum a jure communi requisitas, sed etiam peculiariter a fundatore expressas: 3. facta intra tempus a jure praescriptum: hoc enim elapso Episcopus beneficium libere confert.

Jus Patronatus est facultas praesentandi clericum promovendum ad beneficium Ecclesiasticum vacans connexa humanis juribus, partim honorificis, partim utilibus, partim onerosis.

Jura *honorifica* sunt: 1. honor processionis, idest ut Patrono in processionibus dignior locus debeatur inter laicos: 2. honor sedis, idest ut in Ecclesia patronata specialis sedes ei constituatur in navi Ecclesiae, vel in ipso Choro seu presbyterio: 3. honor sepulturae, idest ut in honorificentiori Ecclesiae loco Patronorum cadavera humentur: 4. honor stemmatis gentilitii in Ecclesia apponendi: 5. honor precum, idest ut Patronus in Ecclesia publice et nominatim Fidelium precibus commendetur: 6. honor thurificationis et aquae benedictae, idest ut ante alios laicos thurificetur, et diverse ac alii aspergatur. Sed circa haec jura honorifica attendendae sunt peculiares locorum consuetudines.

Jura *utilia* sunt : 1. si patronus, non tamen quivis patronus, sed fundator, ejusque uxor aut filii vergant ad inopiam, Ecclesia patronata iis debet suppeditare alimenta : 2. quod is poterit in Ecclesiae fundatione constituere censum in sui favorem vel alterius.

Jura *onerosa* sunt inspicere, num leges fundationis observentur, num bona fideliter administrentur, ut siqua culpa sit ad Episcopum deferat : debet etiam Ecclesiam defendere, ne a potentioribus opprimatur, restaurare, reaedificare, novamque dotem, si prior defecerit, praestare.

Jus patronatus multifariam dividitur : 1. in laicale, Ecclesiasticum, et mixtum. Laicale est, quod competit alicui sive Clerico sive laico ratione sanguinis vel patrimonii, non beneficii seu Ecclesiae. Si competit Collegiis, Hospitalibus, censetur Ecclesiasticum vel laicale, prout ea loca fundata fuerint auctoritate Episcopi nec ne. Ecclesiasticum est, quod alicui sive Clerico, sive Laico competit ratione Ecclesiae cui praeest, si Clericus vel administrationem gerit, si Laicus quomodo ex. gr. competere potest Abbatissae. Jus autem patronatus quod initio fuit laicale fieri potest Ecclesiasticum, ex. gr. si Patronus laicus illud donet alteri Ecclesiae, et vicissim Ecclesiasticum fieri potest laicale, ex. gr. si ab Ecclesia Laico donetur. Mixtum dicitur, quod pertinet simul ad Laicos ratione patrimonii et Clericos ratione Ecclesiae : proindeque utrique concurrunt ad praesentandum. Hoc jus Patronatus induit eas conditiones, quae uni vel alteri juris patronatus generi magis favent.

Plures sunt differentiae utriusque. 1. Patronus Laicus tempus habet quatuor mensium ad praesentandum, Ecclesiasticus sex : 2. Patronus Laicus plures vel simul, vel etiam successive potest praesentare Episcopo, licet non possit praesentationem primi jam perfectam retractare : at Ecclesiasticum unum post alterum nequit praesentare : 3. si ecclesiasticus praesentaverit indignum, pro ea vice privatur jure praesentandi; secus laicus, quippe qui excusari potest : 4. beneficia juris patronatus laicalis immunia sunt ab omnibus reservationibus et affectionibus Apostolicis, haud illa Ecclesiastici patronatus : 5. Legatus a latere potest conferre beneficium juris Patronatus Ecclesiastici, nequaquam laicalis : 6. Parochia juris Patronatus Ecclesiastici per concursum est conferenda, minime laicalis.

2. Dividitur in haereditarium, familiare seu gentilitium, et mixtum. Primum competit haeredibus Fundatoris etiam extraneis, si haeredes sunt unius patroni, etsi accipiant inaequales haereditatis partes; tamen in jure patronatus aequaliter omnes succedunt: si haeredes sunt plurium patronorum, succedunt in stirpes, idest unus haeres unius patroni tantum valet quantum duo pluresve haeredes alterius patroni. Alterum competit personis Fundatori sanguine conjunctis, seu per virilis sexus personas tantum, et tunc dicitur *agnatitium*, seu etiam per foeminei sexus personas, et tunc dicitur *cognatitium*. Regulariter in eo succeditur per capita: pater igitur cum filio et nepote aliisque collatoribus simul praesentant. Tertium competit habentibus utramque qualitatem, idest haeredis et sanguinis.

3. Dividitur in personale et reale. Personale adhaeret personae ob qualitatem personalem, v. g. haereditatis, agnationis. Reale adhaeret fundo, castro etc. ita ut quicumque dominium ejus acquirit, acquirat etiam jus patronatus Ecclesiae ibi sitae.

4. Tandem dividitur in activum, passivum, et mixtum. Activum est quando patronus jus habet nominandi quemcumque clericum illius beneficii capacem seipso excepto. Passivum quando certa persona a Fundatore vocatur ad illud beneficium. Mixtum quando ex Fundationis lege aliquis habet jus nominandi restrictum tamen ad certas personas, quae proinde, nisi ab eo praesentantur, ipsae petere possunt institutionem ab Ordinario tamquam si a Fundatore ipso praesentatae fuissent.

Jus Patronatus acquiritur originaliter vel derivative. Originaliter acquiritur: 1. fundatione Canonica, quae includit areae dationem, aedificationem, et dotationem cum Episcopi consensu, et si plures personae in has res concurrunt, omnes in solidum acquirunt jus patronatus: 2. sufficienti dotatione Ecclesiae jam constructae, at ab Episcopo probata: 3. Romani Pontificis privilegio. Trid. cap. 12. ses. 14. *De Ref.*

Derivative acquiritur, seu ab antiquo Patrono transfertur in alios: 1. per successionem sive testamentariam, sive legitimam, si jus Patronatus est haereditarium: 2. per donationem vel legatum. Si datur laico aut Clerico privato confirmari debet ab Episcopo, cujus tamen consensus etiam post factum valide accedet: at nulla opus est ejus

confirmatione, si datur Ecclesiae, Monasterio, aut si Laico non jus patronatus ipsum donatur, sed ex. gr. una vice permittitur illius exercitium: 3. permutatione dummodo pro jure patronatus res alia spiritualis tradatur: 4. venditione loci vel haereditatis, cui adhaeret jus patronatus reale vel haereditarium, nam jus patronatus cum rei spirituali sit adnexnm ipsum per se vendi non potest ne simonia committatur.

Praescriptione demum acquiritur tam derivative quam originaliter. Derivative, si quis contra verum patronum illud praescribit: et tunc in praescribente requiritur bona fides, titulns licet aliquo vitio infectus, duae vel tres praesentationes factae spatio saltem 40. annorum. Si vero non constet de titulo, requiritur praescriptio temporis memoriam hominum excedentis. Acquiritur originaliter, si quis jus patronatus contra Ecclesiam libere praescribit, tuncque requiruntur multiplicatae praesentationes tam longi temporis, quod memoriam hominis excedat. Et si agitur de personis potentibus, a quibus id juris usurpatum praesumi solet, hae praesentationes debent esse continuatae, omnes effectum sortitae, et authenticis scripturis probatae. Trid. sess. 25. cap. 9. *De Refor.*

Jus Patronatus amittitur: 1. si Patronus Ecclesiae rectorem aut alium ejus Clericum occiderit vel mutilaverit: 2. si in haeresim, schisma, aut apostasiam inciderit: 3. si jura vel bona Ecclesiae sibi usurpaverit: 4. si illud jus vendiderit separatim: 5. si illud remiserit in favorem ipsius Ecclesiae patronatae eam liberam declarans: 6. si Ecclesia corruerit, aut reditibus defecerit: 7. per non usum, si patronus duabus saltem vicibns praesentare neglexerit, et Ordinarius sciente patrono libere contulit beneficium: tunc enim Ecclesia ipsa sibi praescribit libertatem.

§. VIII.

De adipiscenda Beneficiorum possessione.

Possessio beneficii est ejus detentio cum affectu exercendi illius officium, tenendique proprio nomine bona. Quae verba adduntur, quia latins patet tenere quam possidere; nam is etiam tenet, qni sine judicio, voluntate, affectione, et voluntate sibi tenendi tenet: sic ex. gr. furiosus tenet sed non possidet.

Cum autem beneficium duabus rebus constet, praebenda, quae res est corporalis, et officio, quod est res spiritualis; cumque ista res sit principalis, illa accessoria, sequitur: 1. Beneficii possessionem apprehendi capiendo possessionem officii: 2. modum, quo beneficii possessio capitur, consistere in quibusdam rebus vel actibus, qui symbola sunt spiritualis officii non praebendae; sic ex. gr. in tradenda possessione Canonicis datur liber, beneficiariis tintinnabulum, Parochis ingressus in Ecclesiam: 3. vere possideri beneficium ab eo, qui spirituale illius officium tenet ac exercet, quamquam ipsius bonis fuerit expoliatus: 4. adepta possessione officii acquiri etiam possessionem praebendae: 5. istamque licet hoc modo adeptam retineri, donec ipsa particulariter amissa non fuerit.

1. Possessionem dare debet ipse beneficii collator vel ejus delegatus, qui debet esse Clericus vel Notarius Apostolicus, vel ab Episcopo creatus: 2. is debet exprimere cujus auctoritate id agat: 3. se abstinere debet a judicando, num clericus sit nec ne beneficio dignus, nisi id ei commissum sit: 4. si tamen eo primum tempore publicetur aliquod certum impedimentum seu irregularitas clerici, prudenter differet dare possessionem, ut rem omnem ad collatorem deferat.

Possessio datur vel ipsi Clerico praesenti, vel alteri speciale illius mandatum habenti. Cum enim beneficiarius antequam in possessionem mittatur praestare soleat juramentum, ex. gr. Parochus obedientiae suo Episcopo, Canonicus, se instituta capituli observaturum; id sine speciali mandato fieri nequit a procuratore.

Particulares effectus possessionis in beneficiis sunt: 1. ut antequam beneficiarius eam acquirat, fructus nequeat percipere, nec jurisdictionem ejus exercere paucissimis tantum casibus exceptis.

2. Possessionis effectus est, ut si duplex collatio occurrit, neque apparet, quae prior sit tempore, praefertur qui prius possessionem obtinuit.

3. Si lis de beneficio oritur, possessio annalis praestat possessori: 1. ut beneficium ei nequeat auferri, nisi antea petitorio judicio lis finiatur: 2. ut qui vult impetrare significet in supplici libello nomen et gradum possessoris, tempus possessionis, tenorem causamque apertam proferat, ex qua contendit ab eo beneficium retineri non

posse ; secus ejus petitio repellitur : 3. ut intra sex menses a die impetrationis possessorem in judicium vocare debeat , causamque usque ad sententiam prosequi intra annum a die executae citationis.

4. Effectus possessionis : si possessio est triennalis ne uno quidem die deficiens , si pacifica idest , non interrupta sive judicialiter intentata lite super possessorio vel petitorio , quae introducta censetur a die executae legitimae citationis , sive extrajudicialiter per molestias de facto , quibus tamen cessantibus posset nova triennalis inchoari : si conjuncta sit cum bona fide et titulo licet colorato , si possessor demum sit beneficii capax, quamvis collatio irrita fuerit , et simoniaca fuerit possessio , amplius a beneficii possessione moveri non poterit , tutus etiam erit in foro conscientiae, omnesque impetrationes postea factae irritae habentur.

Ut autem probetur triennalis possessio sat erit ostendere ab initio se possedisse et in fine se possidere : possessio enim continuasse praesumitur. Haec igitur triennalis possessio vim habet praescriptionis ex regula 36. Cancellariae , quae proinde dicitur de triennali possessoro , stabilitaque est ne beneficiarii perpetuo timore angerentur amittendi beneficia.

Si Possessio beneficii necessaria est , ut eorum fructus acquirantur , sciendum in quibusdam beneficiariis requiri praeterea fidei professionem , ut stabile dominium fructuum acquirant , quam si facere omiserint , saltem intra duos menses a die adeptae possessionis , fructibus perceptis privantur , aliosque nequeunt percipere. Hi sunt omnes provisi de beneficiis quibuscumque curatis , vel de canonicatibus , et dignitatibus in Ecclesia Cathedrali , et Canonici Collegiatarum ex peculiari lege , vel consuetudine si adest.

§. IX.

De Beneficiorum Dimissione.

Dimissio beneficii est proprii juris voluntaria abdicatio certis ex causis facta superioris auctoritate.

Dicitur voluntaria , quia differt a depositione vel amissione beneficii , quae sequitur ex. gr. nuptiis contractis , alio beneficio incompatibili suscepto , vel ejusmodi crimi-

ne patrato, quod inducit amissionem seu vacationem beneficii, aut ipso facto, idest statim ac scelus commissum est, ex. gr. crimen laesae majestatis, assassininm, sodomia, aliaque ejusdem gravitatis; aut post sententiam judicis, si crimen est minus atrox quamvis poenae capitali obnoxinm.

Dicitur certis ex cansis: non enim licet pro lubitu dimittere officium ecclesiasticnm, sed levior ant gravior causa requiritur pro diversa qualitate beneficii. Cansae legitimae Episcopatum renunciandi sunt: 1. conscientia talis criminis, quod etiam peracta poenitentia impediat officii episcopalis exercitium: 2. debilitas corporis sive ex morbo sit, sive ex aetate decrepita: 3. notabilis defectus scientiae: nam mediocrem scientiam snpplere potest perfecti Episcopi charitas: 4. talis populi malitia adversus Episcopum ut nulla spes sit, posse Episcopum apud enm proficere: 5. grave scandalum futnrum: 6. perpetua Episcopi irregularitas, ut dementiae etc. Beneficia curata dimitti nequeunt intra triennium ab illorum possessione absque una ex causis probatis in Constitutione S. Pii V. *Quanta*, quae similes fere sunt snperioribns.

Dicitur tandem auctoritate superioris, quia illins est judicare de causae idoneitate, nihilque tam est naturale, quam unumquodque eodem modo dissolvi, quo colligatnm est. Beneficiorum dimissio fit renunciatione seu resignatione et permutatione. Renunciatio est dimissio beneficii; est autem vel pnra, vel conditionalis. Pura fit nullo prorsus onere vel conditione adjecta. Conditionalis fit cum aliqno onere vel conditione, ex. gr. ut beneficium detur personae a renunciante designatae, vel si renuncians sibi reservat pensionem super beneficio dimisso. Conditionalis, cujuscumque generis sit beneficium, ut rite fiat opus est tum consensu ejus, cujus conditio apposita potest interesse, ex. gr. Patroni, tum auctoritate Pontificis. Pura valide fit in manu ejus, ad quem spectat beneficii collatio. Resignationes in favorem tertii, vel ob simoniae labem, quae sunt suspectae, vel ob affectum sanguinis vel amicitiae, quo fieri solent, vel ob arbitrium, quod collatori adimitur novum beneficiarium eligendi, fieri debent auctoritate Pontificis; at nulla resignatio in favorem tertii valebit, si resignans sive validus, sive infirmus decesserit ante diem vigesimum a facta resignatione ex reg. 19. Cancellariae.

Beneficiorum permutatio, quae est mutua beneficiorum dimissio, ut alter alterius dimittentis beneficium obtineat, fieri debet auctoritate Episcopi Dioecesani, proindeque si beneficia posita sunt in diversis Dioecesibus, ab utriusque Dioecesis Episcopo probanda erit.

Permutationi, et resignationi in favorem tertii sunt communia: 1. ut ex praescripto Constitutionis Gregorii XIII. debeat publicari in Ecclesia: 2. ut exigatur consensus eorum, quorum interesse potest resignatio vel permutatio: 3. ut neutra liceat, si unum saltem beneficium sit litigiosum propter rei litigiosae vetitam in alium translationem pendente judicio: 4. ut utrinque fiat causae cognitione praemissa: 5. ut facta absque superioris auctoritate inducat amissionem beneficii per sententiam judicis.

TITULUS XVII.

DE COMMENDIS.

Commenda antiquitus erat, vacantem Ecclesiam, vel Monasterium clerico dare in plenam administrationem, haud in titulum, ob aliquam idoneam causam usque dum ea duraret.

Prima causa omnium antiquissima fuit providere Episcopis de suis sedibus hostium vi depulsis; quibus scilicet Romanus Pontifex alias Ecclesias Cathedrales, vel Abbatias vacantes regendas committebat, quin eos constitueret proprios, perpetuosque illarum Pastores; hoc enim pacto his dabatur se sustentandi facultas: cumque retinerent titulum prioris Ecclesiae, eam ut melius poterant, curare debebant, spesque retinebatur illius recuperandae. Demum non offendebatur antiquissimus canon, ne quis duarum Ecclesiarum esset Episcopus.

Alia causa nata post saeculum XII., vel XIII., fuit reformare monasticam disciplinam in plerisque Monasteriis fere collapsam. Haec enim alicui clerico eximiae probitatis et prudentiae regendae committebantur, ut disciplinam monasticam in iis restauraret.

Utraque haec causa temporalis erat; nam mortuo Episcopo de sede sua dejecto, vel in ea restituto, et reformata monastica disciplina, illis Episcopatibus vel Monasteriis proprii Pastores praeficiendi erant in posterum.

At Commendae his de causis profectae primum, et probatae in pessimos degenerarunt abusus tum Laicorum, tum Clericorum. Praecipue enim hoc praetextu, quod beneficia possent retineri jure administrationis, et praesertim Monasteria ideo quod ditiora essent in Laicos profundi coeperunt, et saepissime in milites. Sed Clericis ipsis placuit usum Commendarum retinere, et extendere, ut plures Ecclesias et beneficia possent retinere, unum in titulum, alterum jure Commendae.

Hisce gravissimis malis Romani Pontifices praesertim Clemens V. providere conati sunt. At nato post Schismate Avenionensi cum rursus in clericis inoleret Commendarum abusus, Benedictus XII. ac Leo X. Commendas omnes abrogarunt, quas in perniciem Monasteriorum et disciplinae Ecclesiasticae redundare animadverterunt.

Tandem Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 21. *De refor.* plura edidit saluberrima decreta super Commendas, quorum executionem, quantum fieri possit, remisit pietati et prudentiae Romani Pontificis.

Quoniam vero Commendas omnes tollere res periculosissima erat ob iniquam temporum conditionem, Romani Pontifices duo saltem mala, quae ex Commendis oriebantur, optime removerunt. Unum erat disciplinae Monasticae neglectus ob Abbatis regularis defectum, qui residendo praeesset religiosis. Alterum erat ruina Monasteriorum ob census sufficientis defectum, quem sibi pene totum vindicabant Abbates Commendatarii.

Igitur Romanorum Pontificum studio factum est, ut Monasteria commendata suos haberent superiores regulares in Monasterio residentes; praeterea ut iis sit mensa conventualis a mensa Abbatiali distincta pro monachis alendis, et quarta pars mensae Abbatialis oblegata sit pro Ecclesiae necessitatibus. Ubi vero deest illa mensarum distinctio, tertia pars omnium fructuum Monasterii commendati deputatur pro omnibus ejus oneribus supportandis, et substentatione Monachorum. Leo X. Const. *Supernae.*

Commendae igitur in recenti disciplina sunt beneficia regularia clericis regularibus in perpetuam administrationem sic data, ut in illis habeant omne jus et auctoritatem ac si essent titulares. Plus autem, vel minus jurium illis competit in Abbatiis pro diversa earum qualitate. Cum autem ad haec beneficia, quia primaevam Beneficiorum regu-

larium naturam retinent, inhabiles sint Clerici saeculares; inde fit: 1. ut dentur in Commendam, non in titulum: 2.' ut iisdem ab uno Romano Pontifice dari queant.

TITULUS XVIII.

DE PENSIONIBUS ECCLESIASTICIS.

Pensio est portio fructuum alieni Beneficii legitime, justeque Clerico concessa. Imitatur igitur servitutem, quae esse debet in alieno. Dividitur in realem et personalem. Illa est onus, quod imponitur beneficio ipsi in favorem Clerici Pensionarii: et idcirco extinguitur morte non Beneficiarii, sed Pensionarii, et ab uno Romano Pontifice potest imponi, quia videtur esse quaedam Beneficii sectio legibus Ecclesiasticis vetita. Pensio personalis est onus quod imponitur Beneficiario tantum; igitur ejus morte extinguitur, neque in Beneficii successorem transit, atque ut contendunt plerique Canonistae, potest imponi etiam ab Episcopo, quia cum personae non beneficio imponatur, nulla videtur esse ejus dismembratio.

Pensio cum onus sit super alieno, recte debet imponi. Id fit, si rite, si juste, si moderate imponitur. *Rite* si a legitima potestate, ut modo explicavimus, et assentiatur Patronus si Beneficium sit juris Patronatus laicalis. Idem volunt Canonistae in Patronatu mixto, propterea quod hic trahit secum semper jura illa, quae Patrono sive Ecclesiastico sive laico magis favent. *Juste* imponitur 1. ob resignationem beneficii, idest si clerico beneficium dimittenti ob morbum vel senium pensio super illud datur, ne ei desint alimenta: 2. ob transactionem, idest si duobus de beneficio contendentibus, uni Beneficium, alteri pensio super eodem tribuitur ad dirimendam litem: 3. ob permutationem beneficiorum, idest si communi Beneficio pensio imponitur ad compensandam summam fructuum beneficii commutati: 4. ob indigentiam clerici, cujus tamen opera sit Ecclesiae utilis. *Moderate*, idest 1. ut Ecclesiis Cathedralibus nulla pensio imponatur, si earum reditus summam ducatorum mille non excedit: 2. neque Ecclesiis Parochialibus, nisi earum reditus summam ducatorum centum excedat, in qua summa non computantur fructus incerti, ut sunt emolumenta stolae: 3. ut in aliis beneficiis pensio non ex-

cedat tertiam partem proventuum Beneficii, vel saltem attendatur, ne Beneficiarius congrua portione fraudetur: 4. ut pensio demum certis tantum beneficii fructibus imposita praesumatur, non distributionibus, quae magis videntur incertae, cum eas non lucretur Beneficiarius, nisi choro intersit.

Et quoniam pensio pars est fructuum ex bonis Ecclesiae decerpta, jure quidem exiguntur qualitates, obligationes, et onera bonis respondentia. Itaque nemo est ejus capax, nisi qui clericatu suscepto Ecclesiae servitio se mancipaverit, et praeterea non sit irregularis neque censuris irretitus: 2. quotidie Pensionarius Officium B. M. V. debet recitare, et si omittit, fructus non facit suos, teneturque eos dare in pios usus aeque ac beneficiarius: 3. tonsuram debet, et habitum clericalem gerere: 4. ad illas contributiones una cum Beneficiario tenetur, quae pro fructibus Beneficii imponuntur.

Pensio demum extinguitur: 1. morte Pensionarii, nisi is habeat privilegium eam transferendi saltem pro medietate: 2. Matrimonio: 3. professione religiosa: 4. renunciatione pensionis: 5. assecutione ipsius Beneficii: 6. si jura aut praedia Ecclesiae quovis modo perierint: 7. ob crimen patratum vel ipso facto, vel ex sententia judicis, ut paullo ante diximus de Beneficiis: 8. dimissione habitus clericalis non tamen ipso jure, sed judicis sententia.

Pensio redimitur repraesentatis, idest mature factis aliquot annuis pensionum solutionibus; sed hos contractus prohibuit atque irritavit Benedictus XIV.

TITULUS XIX.

DE MONASTERIIS.

Venimus ad tertium genus rerum Ecclesiasticarum, ad eas scilicet, quae sunt comparatae pro exercenda charitate, vel Religione antonomastice sumpta, idest illa virtute, qua quis totaliter divino servitio se mancipat. Hujusmodi certe sunt monasteria, hospitalia, et sepulturae.

Monasterium proprie acceptum est *locus*, *ubi homines solitariam vitam degunt idest procul ab urbibus hominumque frequentia. Conventus* est *locus quicumque conseptus ubi plures ad certam piam regulam communem vitam agunt.* Verum

usitato sermone monasterium et conventus promiscue accipiuntur.

Conventus igitur seu monasterium aut est religiosorum religiosarumque vota simplicia vel solemnia paupertatis, obedientiae, et castitatis emittentium, aut est clericorum vel mulierum in commune viventium sub aliqua pia regula licet absque voto.

De Regularibus jam diximus in priori libro. Hic igitur tantum agentes de iis quae loca ipsa spectant, explicabimus jus de monasteriorum fundatione, et clausura statutum.

Semper in Ecclesia viguit disciplina, ut nullum extrui possit monasterium absque Ordinarii venia. At nunc sive novum extrui velit, sive desertum reassumi, praeter veniam Episcopi requiritur illa Sedis Apostolicae etiam extra Italiam. Quae duo si desunt, fundatio nulla est; recte tamen accedent etiam post factum, modo in judicium non sit deducta nullitas novae fundationis.

Praeterea requiritur consensus Parochi, et Regularium, qui sunt intra quatuor milliaria, ideo quod novi conventus fundatione detrimentum inferri potest vel juribus Parochiae, vel commodae Regularium praeexistentium sustentationi. Itaque si constiterit Ordinario, neutrum esse timendum, impune omittitur utriusque consensus.

Tandem requiritur reditus sufficiens sustentationi saltem duodecim religiosorum, ne ob personarum defectum disciplinae regularis desit observantia.

Haec autem requisita locum non habent in fundandis hospitiis regularium, vel domibus congregationis Clericorum saecularium, vel monasteriis quarumcumque monialium (pro iis enim omnibus sufficit auctoritas Ordinarii), neque si conventus solum ob aliquam causam transfertur ad alium situm ejusdem loci.

Clausura est lex, qua omnino prohibetur ingressus mulierum in monasteria virorum, et ingressus virorum et feminarum cujusvis generis et aetatis in illa monialium, harumque egressus de suis monasteriis, ubi religionem ab Ecclesia probatam profitentur.

Clausura etiam dicitur totus ille locus huic legi obnoxius, qui in monasteriis virorum comprehendit etiam primum claustrum, nisi aliud sit mulieribus invium, et sacrarium si ad illud aditus patet solum per januam, quae

est in claustro ; secus si solum per januam, quae est in Ecclesia : si vero per utramque, etsi obnoxium videtur legi clausurae, praxis tamen utique adversatur. In monasteriis Monialium clausura est omnis ille locus, in qnem Monialibus licet ingredi, ex. gr. officinae, hortus, area, et totus ambitus muro cinctus.

Ex Const. S. Pii V. mulieres ingredientes clausuram virorum, et Regulares eas introducentes incurrunt excommunicationem Papae reservatam. At multi hanc poenam limitant ad casum, quo id fieret sub praetextu facultatis concessae.

Poena Monialium e clausura egredientium est tum excommunicatio latae sententiae Papae reservata, tum dignitatum et officiorum quae adjunctam habent aliquam superioritatem privatio, quae tamen requirit sententiam declaratoriam judicis. In eamdem excommunicationem incidunt ingredientes haud tamen reservatam praeter alias poenas privationis officii, et inhabilitationis secundum particulares ordinum constitutiones locorumque consuetudines. At moniales licite egrediuntur ob incendium, pestem, et epidemiam, obtenta venia in scriptis, nisi periculum sit in mora, Episcopi et Praelati regularis si isti subsint, vel unius Episcopi. Ob aliquam quamlibet causam, ex. gr. si quae monialis valetudinis causa caeli mutatione, vel balneis indigeat, requiritur licentia Sedis Apostolicae. Licet etiam viris et mulieribus clausuram monialium ingredi si necessitas urgeat, et opportunae facultates obtentae fuerint, ex. gr. si monasterium sit reparandum, curandae infirmae, aegris ministranda sacramenta.

TITULUS XX.

DE HOSPITALIBUS.

Hospitalia proprie sumpta sunt loca suscipiendis hospitibus destinata ; vulgo tamen dicuntur quaevis pia loca cujuscumque generis indigentibus hominibus sive alendis, sive educandis, sive curandis, sive sublevandis addicta ; quo sensu nos illa accipimus.

Ea sunt instituta post pacem Ecclesiae datam a Constantino : ante enim id temporis Christiani exercebant hanc operam pietatis eo tantum modo quo poterant, videlicet singillatim, et in aedibus cujuscumque indigentis.

Ut piorum omnium locorum regimen et cura penes Episcopum esset, conspirarunt leges tum Ecclesiasticae, tum civiles. Cui enim hominum generi poterant melius commendari ea loca quam Episcopis, quorum industria omnium maxima esse debet in charitatis operibus promovendis? Feliciter stetit haec Episcoporum auctoritas usque ad saeculum XIII.: at eam saeculo XIV. hospitalium praefecti sive laici, sive clerici paulatim excutere nisi sunt, ut Episcopis remotis locorum piorum bona in suos usus liberius impenderent.

Huic malo occurrentes Synodus Viennensis, et Tridentina Episcoporum potestatem restituerunt super quaevis pia loca sive laicalia, sive ecclesiastica. Contendunt nonnulli, pia loca esse laicalia, si a laicis administrantur; Ecclesiastica si a clericis: alii censent laicalia esse si absque Oratorio sunt extructa; Ecclesiastica si illud habeant. At verius alii dicunt, laicalia esse, quae absque Episcopi auctoritate fuerunt erecta, Ecclesiastica, quae Episcopi auctoritate sunt fundata, licet nullum habeant oratorium. Nunc igitur aliquis pius locus Ecclesiasticus sit an Laicalis colligitur ex decreto Episcopali erectionis, vel eo ob vetustatem deficiente ex signis, quae conveniunt solum iis locis auctoritate Episcopi erectis ut est praesertim altare, vel Ecclesia, sepultura, vel coemeterium, administratio sacramentorum ab ejus Rectore facienda: in dubio praesumitur laicalis.

Piis locis Ecclesiasticis competunt quaedam privilegia immunitatis, sepeliendi, administrandi sacramenta, fori Ecclesiastici. At laicalia fruuntur solum electione fori, omnibusque aliis privilegiis, quae a jure causis piis conceduntur: praeterea in bonis illorum alienandis adhiberi debent solemnitates requisitae in alienatione bonorum Ecclesiasticorum; secus in bonis istorum alienandis. Ceterum quaevis pia loca sive laicalia sint, sive Ecclesiastica, Episcopi potestas super illis haec maxime complectitur: 1. ut exceptis hospitalibus, quae sub regum immediata protectione sunt, quibusque regia protectio in limine fundationis accesserit, possint Episcopi ea visitare, et illa omnia, quae Dei cultum, animarum salutem, et particulare opus pii loci respiciunt, licet a Laicis gubernentur et exempta sint, vel consuetudo etiam immemorabilis, aut statutum adversetur.

2. Ut ratio administrationis singulis annis reddatur Episcopo tum in visitatione tum extra eam aliqua de causa, licet in adversum sint consuetudines et privilegia: quod si ex particulari consuetudine, constitutione, vel privilegio ratio reddenda est aliis, una cum iis adhiberi oportet Episcopus, et liberatio aliter facta administratoribus nihil proderit.

3. Ut Episcopi possint coercere delinquentes suis legibus, abusus tollere, bonum promovere, sic tamen ut sinant, eorum locorum administrationem exerceri juxta leges fundationis, legitimasque consuetudines; demum ut deficientibus personis, quae sunt pii loci objectum, possint Episcopi cum duobus de Capitulo per ipsum eligendis ejus bona in alium pium usum, qui ejus institutioni proprius sit, convertere, nisi huic casui fuerit in ipsa fundatione provisum.

TITULUS XXI.

DE SEPULTURIS, ET COEMETERIIS.

Decet profecto Fideles in locis sacris, et religiosis sepeliri, ut commendentur patrocinio Sanctorum, quibus ea sunt dicata, quosque viventes implorarunt, atque ut Fideles ibi convenientes, illis etiam suis precibus suffragentur. Itaque si quis in loco profano sepulturam elegerit, ejus electio tamquam irrationabilis respuitur. Hujusmodi loca sunt coemeteria, vel sepulturae, nimirum loca concava in quibus corpora fidelium defunctorum tumulantur. *Coemeteria sunt loca religiosa, sive Ecclesiis adjacentia, sive non, humandis Fidelium cadaveribus addicta, et solemniter ab Episcopo benedicenda.*

Jubet Rituale Romanum, ut ubi viget antiqua consuetudo sepeliendi mortuos in coemeterio, retineatur, et ubi fieri potest, restituatur. Ubi igitur nulla sunt coemeteria, Christiani in suis Ecclesiis sepeliuntur.

Jure communi antiquo in quacumque Parochiali Ecclesia locus erat, ubi Fideles poterant sepeliri, eaque acquirebat oblationes, aliaque omnia, quae sepulturae occasione Fidelium pietas largiebatur. At cum variis Romanorum Pontificum constitutionibus primum Fratribus Dominicanis, et Franciscanis, deinde ceteris regularibus pri-

vilegium datum sit in suis Ecclesiis sepeliendi eos, qui ibi sepeliri elegerint, servata Parocho defuncti parte, ut ajunt, *funerali*, necessario factum est, ut Fideles acquisiverint libertatem Parochialem sepulturam deserendi, et initio quidem solum, si mallent in Ecclesiis Regularium sepeliri, deinde etiam in aliis. Itaque jure novissimo sepulturam licet construere et eligere in quovis loco religioso, idest ubi divina officia, licet minus frequenter, celebrantur.

Verum si novum sepulcbrum extrui debet in Ecclesiis saecularibus, requiritur Ordinarii licentia in scriptis, praeter consensum Rectoris, vel Patroni: in Ecclesiis regularium illa Provincialis, in Ecclesiis Monialium illa sacrae Congregationis, simulque earum consensus; si vero quis eligit sibi sepulturam in alieno tumulo, satis erit licentia ejus, ad quem sepulcbrum illud pertinet.

Cum igitur modo Fideles in quavis Ecclesia possint sepeliri, ordo postulat: 1. ut defunctus sepeliatur in Ecclesia quam eligit, quodque omnes possunt facere, riteque fit et probatur sive per ultimas voluntates testamenti et codicilli licet invalidas, sive per scripturam manu propria subscriptam, vel duos testes etiam singulares, vel solum dictum Confessarii. At sepulturae electio negatur solum impuberibus, quibus pater eam poterit eligere, si consuetudo id ferat; secus in Ecclesia Parochiali, vel in majorum sepulchris eorum cadavera conduntur. Praeterea negatur Regularibus professis nisi forte a proprio monasterio tam longe absint ut commode nequeant ad illa transferri. 2. Si absque electione sepulturae quivis decedit, humandus est in sepulcbro suorum majorum, sive illud sit familiare, paratum scilicet a construente pro se, aliisque de sua familia, sive sit hereditarium, extructum scilicet a coustruente pro se, suisque heredibus. 3. Si defunctus sepulchro majorum careat, vel nequeat illuc deferri, sepeliendus est in sua Parochia, in qua decedens domicilium, vel quasi domicilium jam acquisiverat, licet alibi mortuus sit. 4. Si nequit ad eam deferri quia ex. gr. peregre moriatur, sepeliendus erit in Parochia ubi decedit. 5. Demum Parochiali Ecclesia postposita tum Canonici, omnesque beneficia residentialia habentes si decedant sepultura non electa, sepulchrisque majorum careant, sepeliendi sunt in Ecclesia beneficii residentialis; tum vidua, quae sepulturam non elegit, humabitur cum ultimo marito.

Verum etsi Fidelis extra propriam Parochiam sepeliatur, manebunt tamen haec jura Parochis: 1. ut is semper debeat advocari, neque cadaver e domo possit educi antequam ejus benedictionem acceperit: 2. ut ex oblationibus aliisque emolumentis ob sepulturam Ecclesiae tumulanti relictis pars aliqua Parochiae debeatur, quae licet quarta funeralis appellatur, quia tanta a jure statuitur, tamen potest esse major, vel minor pro locorum consuetudine, et tolli etiam potest per consuetudinem quadragenariam cum titulo, vel immemorabilem sine titulo. Haec quarta detrahitur ex omnibus oblationibus, quae dantur Ecclesiae tumulanti, sive ipso die depositionis, sive diebus sequentibus in memoriam funeris usque ad diem 30., sive dentur a defuncti heredibus, funerisque curatoribus, sive ab ipso defuncto titulo institutionis vel legati, modo relictae non sint pro cultus divini incremento, aliisque charitatis et religionis operibus.

Ecclesiastica sepultura privantur, et in loco profano sepeliri debent: 1. omnes Baptismo carentes, Judaei, Ethnici, infantesque ipsi Christianorum filii sine Baptismo morientes: 2. Apostatae, Haeretici, et Schismatici manifesti: 3. nominatim interdicti et excommunicati vitandi: 4. qui sibi mortem consciverunt ex impatientia, ira, desperatione, nisi eos ob mentis impotentiam id egisse constet; quod in dubio semper praesumitur: 5. decedentes in torneamentis, quae mortis periculum habent, vel in duello, sive ibi perierint, sive procul a loco certaminis, vulnere tamen accepto ex eo, licet absolutionem a peccatis, et censuris obtinuerint: 6. qui per annum integrum non confitetur, et in Paschate Eucharistiam non suscipit, nisi distulerit ea sacramenta suscipere justa de causa, consilioque Sacerdotis: 7. usurarii manifesti, nisi poenitentes decesserint, simulque alienum restituerint, vel idoneam cautionem dederint restituendi: 8. raptores, qui vi rem alienam mobilem auferunt, et Ecclesiarum violatores, qui foribus violenter effractis, eas spoliant, nisi poenitentes obierint, resque ablatas reddiderint, vel cautionem dederint eas restituendi: 9. regulares omnes utriusque sexus proprietarii, idest mortui cum peculio, quod nimirum proprio nomine sine licentia superioris, non custodiae causa retinebant: 10. tandem fures, latrones, adulteri in ipso criminis actu deprehensi et occisi, omnesque manifesti et publici peccatores, qui sine poenitentia decesserunt.

TITULUS XXII.

DE REBUS ECCLESIAE NON ALIENANDIS.

Non hic agimus de rebus Ecclesiasticis primi generis, idest ad animarum salutem directe spectantibus, ex. gr. Sacramentis, Indulgentiis, Officio divino, jejuniis, diebus festis etc. Haec omnia enim sive ab uno alteri ministrentur, sive ab uno in favorem alterius fiant, gratis fieri debent, et licebit solum aliquid temporale dare ei, qui rem spiritualem alteri ministraverit, vel opus spirituale pro eo fecerit, eleemosinae non pretii nomine, quia nullo modo ea possunt esse in commercio.

Neque hic agimus de alienatione rerum Ecclesiasticarum secundi generis, quae immediate cultum Dei respiciunt, ex. gr. Ecclesiae, Oratoria, Cappellae, Sacrae imagines, Reliquiae Sanctorum, Sacra Ecclesiarum supellex. De istis enim brevis et perspicua est definitio, eas nempe nullo modo ratione consecrationis in iis adhibitae posse ita vendi et alienari, ut ob id aliquid plus exigatur. Verum justa causa urgente, formaque a jure statuta, ut paulo post explicabimus, eaedem possunt alienari et vendi, Ecclesiis exceptis pro eo, quod in eis non est spirituale, idest pro eorum materiae pretio. Sed tunc si dentur Ecclesiasticae personae, possunt integrae vendi; sin venduntur aliis non ad usum Ecclesiae, debent prius frangi praemissa oratione, nisi illarum qualitas, futurusque usus acquirentis id minime postulet.

Agimus igitur de bonis temporalibus, quae sunt destinata pro clericis et regularibus alendis, pro parandis rebus ad divinum cultum exercendum, et de bonis piorum locorum Ecclesiasticorum. Haec enim omnia, cum nullam habeant benedictionem vel consecrationem, sunt in commercio, possuntque alienari.

Ut Ecclesia coepit ditari bonis praesertim immobilibus, statim per sacros canones, legesque civiles severissime prohibita fuit eorum alienatio. Cum enim Religio perpetua sit, patrimonium ejus, quod divini cultus exercitio, ejusque ministrorum sustentationi inservit, jugiter illaesum servari debet. Quaevis igitur donatio, venditio, commutatio rei Ecclesiasticae, quam Episcopus ageret absque consensu et subscriptione Clericorum suae Ecclesiae, irri-

ta erat; debebat Episcopus alienationis factae reddere rationem in Synodo provinciali: poenae demum gravissimae decernebantur adversus Episcopos sine debita forma et causa alienantes.

Cum vero jampridem ob iniquam temporum conditionem Synodi tum Dioecesanae, tum Provinciales rarissime haberentur, in quibus praeter caetera negotia gravissima, etiam rerum Ecclesiasticarum alienatio, si opus esset, necessaria maturitate tractaretur; merito Paulus II. in sua Extravaganti *Ambitiosae* irritam decernit quamvis rerum Ecclesiasticarum alienationem absque Sedis Apostolicae venia factam.

Alienationis autem nomine hic venit non solum omnis contractus, quo dominium plenum, directum, aut utile, vel aliud jus reale, uti pignus, servitus transfertur; sed etiam locatio ultra triennium facta, nisi renovatio sit veteris locationis iisdem pactis inita.

Res autem, quae prohibentur alienari, sunt tum res immobiles proprie dictae, ex. gr. praedia, tum improprie dictae (quae in jure civili dicuntur incorporales), idest jura omnia, ex. gr. servitutes, census, obligationes, actionesque ad immobilia, tum etiam res mobiles pretiosae certi valoris.

Verum permittitur, et valet alienatio rerum Ecclesiasticarum, si juste riteque fiat. *Juste*, si nempe alienantur: 1. ut captivi redimantur, vel pauperes alantur: 2. ut satisfiat creditoribus Ecclesiae, quae tanto aere alieno obruta est, ut soli bonorum fructus non sufficiant: 3. si alienatio Ecclesiae utilis futura sit, si ex. gr. praedia inculta, aut aedes ruinosae in emphyteusim concedantur, praedia longe dissita cum proximis commutentur: 4. si res alienantur, quae servari nequeunt, vel magis sunt detrimento quam emolumento. *Rite*, idest adhibitis solemnitatibus a jure praescriptis: 1. si bona Capituli aut Monasterii alienantur, requiritur consensus Canonicorum et Monachorum capitulariter datus: 2. si bona mensae Episcopalis, opus est consensu Capituli et Episcopi: 3. si bona Ecclesiae Parochialis, aut cujuscumque alterius beneficii, possunt alienari consensu Episcopi, neque inutiliter audietur Patronus si forte sit: 4. demum requiritur beneplacitum Sedis Apostolicae.

LIBER TERTIUS.

DE JUDICIIS.

TITULUS I.

DE JUDICIORUM NATURA, ET DIVISIONE.

Judicium est discussio et definitio causae in foro coram judice, et a judice rite facta.

Judicium constat tribus personis; judice, actore, reo.

Tria spectantur in judice: 1. ut is huic muneri sit idoneus: 2. ut illud legitime acceperit: 3. ut competens sit, idest rei de qua agitur et litigatur proprius.

Idonei non sunt omnes, qui ne sint judices prohibentur vel natura, vel lege, vel moribus. Natura judices esse nequeunt surdi, muti, amentes, impuberes; lege, infames, haeretici, sacrilegi, sepulchrorum violatores, incestuosi, homicidae, perjuri, fures, raptores, malefici, venefici, adulteri, excommunicati, capitali crimine rei; moribus, servi et foeminae.

Reliqua duo, quae sunt de judice notanda paulo post explicabimus; pauca nunc de actore et reo.

Actor et reus possunt esse omnes, qui habent legitimam personam standi in judicio, idest qui habiles sunt de jure ad comparendum in judicio tamquam actor et reus. Inhabiles sunt: 1. mutus, surdus, furiosus sine curatore illis dato ad litigandum: 2. servus, nisi causam agat sui status vel Reipublicae: 3. mulier in causis criminalibus, nisi actrix suam, vel suorum persequatur injuriam, vel ut rea conveniatur: 4. pupilli, et minores absque tutore et curatore, sed jure canonico minores etiam absque curatore actorem agere possunt, in causis beneficii, matrimonii, alimentorum, momentaneaeque possessionis, curatoris suspecti: 5. Filiusfamilias sine consensu patris, nisi pater absit, vel causa spiritualis sit, vel talis in qua minor agere potest sine curatore, vel causa versetur super peculio castrensi, aut quasi, aut adventitio, ut multi Doctores censent: 6. Religiosus absque consensu sui superioris, nisi agat in causa beneficii, quod is habet, cuique

adnexa sit administratio, vel in causa accusationis, vel defensionis sui praelati, vel in causa monasterii, vel causa tuendi se in religione, ex. gr. ne alimentis, vel juribus sibi debitis fraudetur : 7. Excommunicatus potest conveniri in judicio, tuncque debet per procuratorem non per se ipsum respondere ; agere tamen nullo modo potest, nisi adversus excommunicationis sententiam agat, vel periculum sit in mora, ne dum ipse absolutionem impetret, reus effugiat. Reus et actor non tenentur ipsi sistere se judicio, sed uti possunt in eo opera procuratoris, nisi causa sit criminalis, et criminaliter intentata.

Procurator hic intelligitur ille, qui mandato domini litis, seu ut ajunt *principalis* constituitur ad excipiendos, percipiendosque omnes actus judiciales ; differt igitur ab advocato, cujus officium nostris praesertim moribus est jura tantum clientibus faventia seu voce seu scripto proferre.

Multiplex est judiciorum divisio : 1. petitur a qualitate rei spiritualis, seu temporalis, quae venit in judicium ; unde aliud est *spirituale*, in quo agitur de re, aut jure spirituali, aliud *temporale*, in quo agitur de re, aut jure temporali, aliud *mixtum*, quod ex utroque trahitur.

2. Divisio petitur a qualitate judicis, qui judicio praeest. Dicitur enim *Ecclesiasticum* si exerceetur coram judice Ecclesiastico uti tali ob qualitatem, vel rei spiritualis de qua agitur, vel rei conventi fori ecclesiastici privilegio gaudentis. Dicitur judicium *saeculare*, si exercetur vel exerceri potest coram judice laicali de re temporali contra laicum.

3. Judiciorum divisio petitur ex diverso modo, quo illa exercentur ; vel enim sunt *ordinaria*, in quibus servantur solemnitates omnes juris ; vel *summaria*, in quibus ea servantur, quae necessaria sunt ad rei veritatem detegendam reliquis omissis, quae magis ad solemnitatem judiciorum, quam ad rei necessitatem pertinent. Hac ratione tractantur, ex. gr. causae de ministris Ecclesiae, de alimentis, salariis, decimis, pleraeque matrimoniales ; cum enim hae causae celerem expostulent expeditionem, discutiuntur de plano, idest sine strepitu judicii, solaque rei veritate inspecta.

4. Judicia dividuntur in *petitoria*, et *possessoria*. In illis agitur de proprietate, vel de alio jure seorsim a pos-

sessione, quae est de rebus corporalibus, aut quasi possessione, quae est de rebus incorporalibus. In possessoriis agitur de sola possessione, vel quasi possessione, seu adipiscenda, seu retinenda, seu recuperanda, dominii quaestione ad maturius examen reservata.

5. Judiciorum divisio est in *reale*, in quo actio realis, et in *personale*, in quo actio personalis instituitur.

6. Denique divisio est in *criminale* et *civile*. In illo causa criminalis agitur, idest ut delinquenti poena publica infligatur, quae triplex est, vel corporis *afflictiva*, vel privatio *officii* aut *beneficii*, vel *multa pecuniaria* fisco applicanda. In civili causa agitur civiliter, idest actor intendit suum interesse, seu propriam utilitatem.

TITULUS II.

DE JUDICE, ET ARBITRO.

§. I.

De Judice.

Diximus jam in judice praeter ejus idoneitatem ad hoc munus requiri, ut legitime, modo scilicet a lege probato, judicandi facultatem obtinuerit. Triplici modo ista obtinetur: 1. Magistratu seu munere, tuncque dicitur judex ordinarius, quales sunt Papa, Archiepiscopi, Episcopi, et Praelati inferiores: 2. delegatione *juris*, ut Episcopi omnes in pluribus causis regularium sunt delegati summi Pontificis ex Conc. Trid.: vel *hominis* ut Vicarius generalis Episcopi, et in utroque casu dicitur judex *delegatus*: 3. partium litigantium consensu, tuncque dicitur *arbiter*.

Commune est judici ordinario et delegato, quod uterque possit exequi sententiam suam, delegatusque Ecclesiasticus uti possit etiam censuris pro illius executione, nisi delegato commissa fuerit simplex notio, idest causae decisio, vel nisi expressae sententiae executio illi fuerit excepta. Ceterum est aliquod discrimen inter utrumque. Cum enim judex ordinarius habeat jurisdictionem jure suo, delegatus autem beneficio alieno, sequitur: 1. ut ordinarius procedat semper nomine suo, delegatus nomine delegantis,

et idcirco a sententia delegati nulla datur appellatio ad delegantem, sed ad superiorem judicem delegantis: 2. ut ordinarius possit delegare, quoniam nil vetat, usum propriae jurisdictionis alteri concedere; at delegatus nequeat subdelegare, quia utitur aliena jurisdictione; verum excipitur delegatus summi principis, vel Pontificis, quia cum is fungatur vice ejus, qui summam habet potestatem, censetur pluris esse quam ordinarius: sic delegato ad universitatem causarum rite praesumitur concessa potestas alterum subdelegandi ad aliquam causam.

Praeterea delegatus in exercitio potestatis formam mandati servare debet in re et in modo: in re ne scilicet de aliis rebus cognoscat quam in mandato expressis, nisi hujusmodi sint, ut ad causae mandatae cognitionem omnino pertineant vel conducant; in modo ut scilicet ordine sibi praescripto procedat: aliter juris ordinem servabit.

Cessat delegati potestas: 1. sententiae vel prolatione tantum, vel executione prout ei mandatum fuerit: 2. revocatione mandati, modo fiat re integra, idest lite coram eo nondum contestata: 3. morte delegantis, vel delegati, nisi delegatio facta sit nomine dignitatis et officii delegantis et delegati: 4. lapsu temporis ad causam definiendam praescripti, nisi a partibus prorogetur.

§. II.

De Arbitris.

Arbiter generatim acceptus est *privatus cognitor a partibus electus ad cognoscendam, definiendamque litem aliquam, vel negotium.*

Plura dantur arbitrorum genera: vel enim causam sine ullo judiciali ordine tractant, et vulgo dicuntur *arbitratores*, et *amicabiles compositores*, eorumque sententia dicitur *arbitramentum*; vel causam cognoscunt juris ordine servato, nempe praemissa citatione, testium examine, aliisque substantialibus saltem juris solemnitatibus adhibitis, et proprie dicuntur *arbitri*, eorumque sententia dicitur *Laudum*, seu *arbitrium*.

Praeterea alii sunt arbitri voluntarii, qui a partibus eliguntur nemine jubente; alii sunt arbitri juris seu necessarii, quos partes eligunt lege, vel statuto sic jubente,

ut ex. gr. fit inter conjunctos invicem litigaturos. Tam arbiter juris, quam voluntarius, dicitur arbiter *receptus*, sive *compromissarius*, si electioni arbitri a partibus factae accesserit compromissum, idest mutua litigatorum promissio, se arbitrio parituros.

Compromissum fieri potest vel nulla poena adjecta contra eum, qui arbitrio renuit parere, vel illa adjecta. Si priori modo, pars arbitrio stare omnino cogitur: si altero, pars renuens poenam solvet, at stare non cogitur arbitrio, saltem ut habet fori usus, nisi poena adjecta sit cum clausula *firmo remanente compromisso*. Potiores effectus prolati arbitrii sunt. 1. Finis imponitur causae, ut ab eo appellare non liceat; verum si in laudo apparet enormis laesio, datur reductio ad arbitrium boni viri, quae imitatur appellationis effectus. 2. Nascitur seu magis committitur actio coram judice ordinario adversus eum, qui laudo non paret. 3. Finis imponitur officio arbitri, ut quamvis arbiter jussum praecedens sententiam definitivam mutare possit, hanc tamen mutare nequeat, eamque judex ordinarius exequatur.

TITULUS III.

DE FORO SEU JUDICE COMPETENTE.

Praeter idoneitatem personae, judicandique facultatem rite acceptam, requiritur in judice, ut is competens sit tam rei quam personis, de quibus judicaturus est: secus ejus sententia, imo totum judicium nullam vim habebit ob defectum jurisdictionis in genus causae, vel in reum. Idem autem est dicere forum, vel judicem esse, vel non esse competentem; nam fori vocabulo intelligitur non solum exercendarum litium locus seu tribunal, sed etiam jurisdictio seu potestas exercentis judicium.

Cum plura sint vel esse possint judicum genera, Ecclesiastici, Laici, Criminales, Feudales, Fideicommissarii etc., cumque in uno genere plures esse possint judices, ut agnoscatur quis sit judex competens, debet attendi: 1. qualitas rei de qua agitur: 2. qualitas rei conventi; hinc enim determinatur cujus generis judex esse debet: 3. peculiaris modus, quo fiat ut reus inter plures judices ejusdem generis huic vel illi subjiciatur.

Et primo quidem inspicienda est qualitas rei de qua agitur : nam si ea sit spiritualis vel spirituali annexa, judex competens est tantum persona ecclesiastica, sive causa inter clericos sive inter laicos agitetur. Hujusmodi sunt causae fidei, et sacramentorum, matrimoniales, illae praesertim in quibus de matrimonii vi agitur, causae ecclesiasticae disciplinae, beneficiorum, decimarum, juris funerandi, juris patronatus, illae denique omnes, quae circa clericorum mores, cultumque religiosum versantur.

Eadem ratione si in Republica sint diversi judices pro diverso causarum genere constituti, ex. gr. unus pro criminibus, alter pro tutelis, alter pro fideicommissis, vel feudis; tunc pro diversa qualitate rei, quae venit in judicium, proprius illius judex erit adeundus.

Deinde attendenda est qualitas rei conventi; quamvis enim causa sit de re temporali; tamen si contra clericum agitetur, judex competens est tantum ecclesiasticus ob privilegium fori ecclesiastici, quo clerici gaudent.

Eadem ratione, reus si alia de causa gaudet privilegio fori specialis, conveniri tunc debet non coram communi aliorum judice, sed tantum coram judice suo, ut ex. gr. Professores et auditores publicae universitatis, milites etc. ob speciale fori privilegium conveniendi sunt coram rectore universitatis, vel judice militum.

Denique cum plures judices possint esse judices competentes quidem ob qualitatem causae, vel rei conventi, sed unus tantum aut alter habeat jurisdictionem in reum, attendenda tunc erit ratio, qua fiat ut reus uni potius quam alteri subjiciatur. Semper enim actor debet sequi forum, seu judicem rei, ut is jure possit a judice cogi.

Quadruplex est ratio ista, quae petitur a loco vel domicilii rei, vel contractus, vel delicti, vel rei debitae. Reus enim subjicitur judici cujuslibet illorum locorum.

Ratione domicilii reus conveniri potest in loco ubi natus est, lares et familiam habet, quod dicitur domicilium naturale : aut in loco, ubi natus non est, sed habitat animo permanendi stabiliter, vel per tempus notabile, quod dicitur domicilium accidentale. Hinc sequitur : 1. eum, qui domicilium in duobus locis habet, in unoquoque posse conveniri : 2. clericum, si beneficium residentiale habet, posse etiam conveniri in loco beneficii : 3. vagos, qui nullum ha-

bent domicilium, conveniendos esse ubi actu vagantur, quia pro quolibet loco suae vagationis domicilium sortiuntur : 4. judicium incoeptum per citationem in loco domicilii defuncti ibi continuandum esse, licet heres alibi domicilium habeat, ideo quod heres personam defuncti repraesentat.

Ratione delicti conveniri potest quis in loco, ubi deliquit, sive quod ejus loci leges violaverit, sive quod ibi habetur copia probationum, sive quia cum ibi nocuerit exemplo delicti, prodesse etiam debet exemplo poenae.

Ratione contractus conveniri quis potest in loco ubi se soluturum promisit si de hoc fuerit expresse cautum ; secus in loco ubi contraxit : id quod servari debet non solum in contractibus, qui statim sunt exequendi, ut si emas equum ex. gr. a peregrino, isque pretio accepto nolit eum tradere ; sed etiam in aliis contractibus suo tempore exequendis, sive reus sit absens, sive praesens in loco contractus. Si abest judex loci contractus, non jam petere poterit a judice domicilii, ut reum ad se remittat, sed ipse, si reus se non defendat respondendo, immittet actorem in possessionem bonorum, quae reus ibi forte possideat, vel ad judicem loci, in quo bona rei sita sunt, decretum exequendum remittet.

Denique ratione rei debitae reus conveniri potest apud judicem loci, ubi res debita sita sit, sive mobilis, sive immobilis ea sit, sive de possessione, sive de proprietate agatur, sive reus absit, sive praesens sit, dummodo res petatur actione reali non personali, nisi actio personalis sit in rem scripta.

Sed de his diversis foris seu judicibus notandum est : 1. reum non aequaliter cuilibet illorum subjici : nam judici domicilii reus subjicitur pro omni causa ; at judici loci criminis, contractus, rei debitae subjicitur tantum pro illo crimine, contractu, et re ; unde forum domicilii universale est, et concurrit cum ceteris foris delicti, contractus, et rei : 2. quando reus pro eadem causa conveniri potest in pluribus foris, ex. gr. domicilii et contractus, electionem fori esse penes actorem : 3. si judicium per citationem incoeptum sit coram uno judice competente, ex. gr. domicilii, ibi finiendum esse ; unde judex citatione praeveniens excludit alios judices, licet aeque com-

petentes, et ejus forum, quod est domicilii, tunc etiam dicitur *forum praeventionis*: 4. facta electione fori, judicioque per citationem incoepto, neque actori neque reo esse mutandi judicis potestatem.

TITULUS IV.

DE CITATIONE.

Primi cujusque judicii, idest primae ut ajunt instantiae quatuor sunt partes; idest in jus vocatio, seu citatio; litis contestatio; causae disceptatio, et cognitio; sententia judicis, seu res judicata. Harum prior est citatio, atque ad judicii institutionem omnino necessaria, ut reus possit ad judicium venire, et ad defensionem se praeparare. Igitur impune illa praetermittitur solum, si absque ea jam habeantur illi duo citationis fines; ex. gr. si reus non vocatus sponte venerit, aut inventus in jure, ibique apud judicem conventus ultro responderit etc.

Citatio est actus judicialis, quo quis juris experiendi causa ex judicis mandato in judicium vocatur ad certum tempus. Haec est proprie citatio quae fit ab homine, diversa ab illa quae fit a jure ipso, idest quando lex ipsa praefixit tempus intra quod aliquis judicio se sistat oportet, ut ex. gr. qui appellat ad Sedem Apostolicam impugnans electionem, vel provisionem beneficii, debet intra mensem Romam iter arripere.

Ex definitione citationis sequitur: 1. quoniam citatio est actus judicialis, ideoque contentiosae jurisdictionis, nullius esse roboris citationem datam a judice extra proprium territorium manente, itemque sua auctoritate executam contra reum stantem in alterius territorio, itemque si reum judex vocaret ad locum alieni territorii: 2. quoniam reo constare debet, an a judice competente vocetur, sequitur in citationis libello, exprimendum esse nomen judicis; et si is fuerit delegatus, adjungendum esse exemplum literarum, quibus mandata ei jurisdictio est; et si notorium sit, judicem esse incompetentem, reus debet omnino judici se sistere, privilegia quae habet coram illo producturus. Nam judex seu ordinarius, seu delegatus regulariter jus habet cognoscendi de sua competentia, quam partes in dubium vocant: 3. exprimendum etiam esse

locum ubi reus comparere debet tum ut possit venire, tum quia impune non parebit si vocetur extra judicis territorium : 4. apponendum esse diem, quo reus ad judicium veniat, sed cavendum, ne dies sit feriatus, neque tam brevis ut reus commode nequeat accedere. Cavendum etiam ne citatio die festo executioni detur, quamvis eo die subscribi possit : 5. denique exprimendum esse nomen, et cognomen tam actoris quam rei, et causam citationis, ut reus deliberet, num liti cedere, aut se tueri debeat.

Citatio dividitur : 1. in publicam et privatam. Illa fit edicto, aut voce praeconis, atque adhibetur, cum reus vel latitat vel impedit, ne citatio ad ipsum perveniat : ista fit privatim voce, vel scripto per cursores et apparitores : quovis modo fiat, in actis est insinuanda quia non praesumitur. Qua de causa cursor testari debet, se illam fuisse executum.

2. In realem et verbalem. Illa fit per capturam, ut ajunt, personae in causis criminalibus, et quandoque etiam in civilibus, si periculum sit, ne debitor alio commigret, nullaque bona habeat. Ista fit sive in faciem rei praesentis, sive ad domum solitae ejus habitationis.

Potiores effectus citationis jam executae sunt : 1. ut inducat litis pendentiam, qua pendente res dicitur affecta *vitio litigiosi*, et nullo pacto alienari, imo nihil potest innovari : 2. ut judicis jurisdictionem proroget, idest ita confirmet in reum, ut licet is post citationem forum mutet : ex. gr. fiat clericus, nequeat tamen eo uti : 3. ut inducat inter plures judices aeque competentes praeventionem fori judicis citantis : 4. ut praescriptionem etiam longissimi temporis interrumpat : 5. demum ut contumaciam inducat; nempe si actor neque per se, neque per procuratorem judicio sisterit, reus absolvatur ; si reus, contra eum sententia feratur : at jure canonico contumax causa non cadit, sed pro causarum diversitate, vel mittitur in possessionem rei, vel ad expensas condemnatur, vel censuris coercetur.

TITULUS V.

DE LIBELLI OBLATIONE, ET LITIS CONTESTATIONE.

In causis summariis, quae faciliores et expeditiores sunt, satis est citatio; at in causis, quae difficilioris sunt cognitionis, cum in citatione commode nequeat exprimi actoris intentio, idest quid is petat, et ratio suae intentionis, idest qua actione velit uti ad suam petitionem vincendam, inventum est, ut post citationem actor judici solemniter libellum exhibeat, reo deinde tradendum, in quo breviter et perspicue actoris intentio, et actio contineatur: is in civilibus dicitur *conventionalis*, in criminalibus *accusatorius*. Libelli conditiones apte continentur in hoc disticho

Quis, quid, coram quo, quo jure petat, et a quo;
Recte compositus quisque libellus erit.

Usu fori recepta jam est communis Doctorum sententia, libellum emendari post litem contestatam posse, mutari non posse; emendatur, cum actioni in libello propositae adjicitur quidquam vel detrahitur, aut explicatur quod obscure dictum est: mutatur cum repudiata actione, nova instituitur. Si reus liti cedens ultro fateatur in jure se debere, lis sublata erit; at si negat, et contendere cum actore paratus sit, lis dicitur contestata: nam litis contestatio fit per actoris petitionem, et congruam rei responsionem, utramque in jure factam; unde recte illa dicitur esse causae initium, et judicii fundamentum. Ut enim domus fundamento continetur, ita actor et reus in suis probationibus, et judex in sententia stare debet intra id, quod litis contestatione inclusum in judicio est.

Effectus litis contestationis hi sunt. 1. Judex nequit amplius respui, nisi nova ei opponatur causa suspicionis: 2. exceptiones dilatoriae nequeunt amplius proponi nisi ad judicii substantiam ita spectent, ut illud retro nullum efficiant, vel post litem contestatam emerserint, aut primum non innotuerint: 3. adversarius in mora vel mala fide constituitur: 4. actio personalis ad 40. annos perpetuatur: 5. Procuratoris mandatum non finitur per obitum principalis: 6. mandata jurisdictio prorogatur, idest delegantis morte non expirat delegati jurisdictio: 7. inter partes quasi

contractus inducitur, ut neuter altero invito possit a judicio discedere.

TITULUS VI.

DE EXCEPTIONIBUS, ET REPLICATIONIBUS.

Exceptionis nomen trifariam accipitur: cum enim jura, obligationes, actionesque inde nascentes tollantur vel ipso jure, idest statim et vi legis: ex. gr. solutione, acceptilatione, compensatione, interitu rei etc., vel tollantur per exceptionem aequitati innixam, quae in judicio adversus actionem ex jure, vel obligatione profluentem debet apponi, ut ex. gr. est exceptio metus, doli, pacti de non petendo etc.; idcirco exceptio generaliter accepta est *defensio, qua actoris intentio et actio, vel ipso jure, vel ob aequitatem eliditur.*

At si exceptio strictius accipiatur, est *illa rei defensio, quae actionem ex lege constitutam aequitate repellit et elidit.*

Cujuscumque generis sit exceptio, sive primi, sive alterius modi, patet eam semper cadere non modo super actoris intentionem, sed etiam super actionem ab eo propositam.

Sed exceptio generalius etiam accepta est *quaevis rei defensio, qua actoris intentio eliditur, vel ad certum tempus vel in perpetuum.* Illa dicitur dilatoria, haec peremptoria.

Verum exceptio sic definita quandoque cadit super actoris intentionem simul et actionem, ut ex. gr. est exceptio praescriptionis, doli, metus, solutionis etc., sed aliquando licet actoris intentioni opponitur, tamen nullo modo actioni, ut ex. gr. est exceptio incompetentiae judicis, actoris excommunicati etc.

Exceptio dilatoria multiplex est. Aliquando petitur a persona judicis, tuncque dicitur declinatoria fori, ex. gr. judicem esse incompetentem, suspectum ob affinitatem: aliquando petitur ab actore, quia non habet legitimam personam standi in judicio, ex. gr. si pupillus agit non auctore tutore, procurator actoris absque legitimo mandato.

Aliquando petitur a persona rei, veluti si e duobus foris, quibus subjectus est, electionem ipse habens cum in uno eorum conventus esset, causam ad alterum revocaret.

Aliquando petitur ab ipsa causa, ex. gr. non cessisse diem solutionis in conventione appositam.

Exceptiones etiam peremptoriae diversi generis sunt: nam aliae dicuntur simpliciter peremptoriae, uti sunt v. g. exceptio doli, metus, pacti de non petendo, solutionis, senatusconsulti Macedoniani, aut Vellejani: aliae vero dicuntur peremptoriae litis finitae, quippe quae non solum intentionem, actionemque actoris in perpetuum excludunt, ut priores; sed vetant etiam, ne novum judicium fiat, cum litem jam compositam et peremptam fuisse ostendant, quemadmodum est exceptio transactionis, rei judicatae, jurisjurandi.

Praeterea exceptiones dilatoriae et peremptoriae non solum effectu differunt, sed etiam tempore, quo proponendae sunt in judicio; nam illae ante litem contestatam opponi debent paucis tantum casibus exceptis, ut diximus titulo superiori. At peremptoriae omnes rite proponuntur etiam post litis contestationem, modo ante sententiam opponantur: quaedam vero ex iis, ut ex. gr. est exceptio senatusconsulti Vellejani, Macedoniani, omnesque peremptoriae finitae litis etiam post sententiam possunt opponi.

Hujus diversitatis ratio facile deducitur ex diversa natura exceptionum dilatoriarum, et peremptoriarum. Illae enim fere omnes cadunt super personam judicis, actoris, rei, qnia nempe ex unius vel alterius eorum causa adhuc judicium stabiliri non potest. Igitur hujusmodi exceptiones proponendae sunt ante litis contestationem, idest contradictionem rei petitioni actoris; at peremptoriae cadunt super rem ipsam quae petitur, causamque petendi: recte igitur proponuntur postquam reus actoris propositioni contradixerit litem contestando; cum litis contestatio constet propositione actoris, et ad eam propositionem responsione, sive contradictione rei.

Quemadmodnm exceptione reus elidit actionem, sic actor replicatione elidit exceptionem rei, ex. gr. si reus conditioni mutui opposuisset exceptionem pacti de non petendo, actor huic exceptioni opponeret ultimam conventionem, qua placuit, rursum ei petere licere. Si replicatio excludatur a reo nova allegatione, haec dicitur duplicatio, contra quam actori conceditur triplicatio, et reo adversus istam quadrnplicatio; quod tamen ne longius judicia protrahantur, non temere, sed ex causa judex permittet. Ce-

terum reo concedendam esse ultimam allegationem, ratio juris, ususque fori probat.

TITULUS VII.

DE MUTUIS PETITIONIBUS.

Mutua petitio, quae dicitur etiam reconventio, fit cum reus, viso actoris libello, eidem judici porrigit alium libellum vicissim aliqnid petens ab actore; per eam igitur actor, et reus mutuo se conveniunt, ut uterque sustineat personam actoris et rei.

Reconventio fieri potest vel ante, vel immediate post litem contestatam, vel postquam lite contestata ad alios actus judicii processum est. Hoc postremo modo facta dicitur compensatio.

Si fit duobus primis modis, causa reconventionis aeque ambulat cum causa conventionis, idest una cum illa cognosci, unaque sententia terminari debet. Verum si una ex iis celeritatem prae altera causa exigeret, quia periculum ob moram immineret, vel facilior esset quam altera longiorem indaginem requirens, tunc illa ante cognoscenda et terminanda esset.

Si fit tertio modo, ante finienda est causa conventionis, inde fit transitus ad causam reconventionis, nisi haec, idest causa compensationis liquida omnino sit.

Actorem quilibet reus reconvenire potest. Excipitur, 1. excommunicatus; nam iste prohibetur agere: 2. nequit laicus reconvenire reum coram judice laico in causa non connexa et per modum actionis; et si consuetudine id liceat, tamen sententiae judicis laici executio reservatur judici ecclesiastico: 3. actor reconventus a reo alia reconventione uti nequit adversus eum, ne judicium in infinitum protrahatur.

Reconventio permittitur in causis omnibus, etiamsi causae non sint connexae, et actiones sint diversae.

Excipitur: 1. causa depositi: 2. spolii: 3. appellationis; nam judex appellationis de ea tantum causa potest cognoscere: 4. criminalis; reus enim non revelatione criminis, sed propria innocentia purgare se debet, nisi crimen accusatoris sit atrocius, vel reus suam suorumque injuriam persequatur.

TITULUS VIII.

DE JUREJURANDO CALUMNIAE.

Juramentum calumniae, quod Justinianus primo litigantibus imposuit, est *religiosa litigantium asseveratio judice praesente et deferente facta, se causam bona fide suscepisse, et prosequuturos.*

Igitur sic jurantes haec omnia asserunt, et promittunt, se litigare ideo quod credunt justam causam habere et fovere: interrogatos nihil negaturos, quod verum esse putant; nunquam se falsa probatione usuros; nullam petitionem petituros in fraudem et prolationem causae; nihil se dedisse et daturos, exceptis personis, quibus per legem dare licet.

Praestatur hoc juramentum semel tantum, et vel in ipsa litis contestatione, non ante, vel statim post illam, vel in qualibet sequenti judicii parte si debito tempore fuit omissum.

Idem praeterea locum habet in omnibus causis etiam spiritualibus, summariis, secundae instantiae, criminalibus, nisi forte in ipsis judex illud remittendum reo putet ob manifestum perjurii periculum.

Praestatur autem non solum a personis principalibus, idest actore et reo, sed etiam a procuratoribus nomine Dominorum speciale ad id habentibus mandatum. De Clericis vero nonnulli Doctores affirmant, eosque teneri illud praestare, alii negant, alii distinctione utentes putant, clericum si coram judice saeculari litigat ad juramentum compelli non posse, quia caret talis judex jurisdictione, absque sui praelati facultate, secus si coram judice Ecclesiastico; sed alii aliter distinguunt, ita nempe ut Clerici in causis propriis jurare omnino debeant, nequeant autem in causis Ecclesiarum suarum absque suorum praelatorum auctoritate, propterea quod his demandata sit eorum tutela.

Juramentum calumniae si omittitur, quia neutiquam fuit postulatum, processus hoc solo vitio non infirmatur; at si petitur et recusatur, actor recusans a lite cadit, reusque absolvitur: reus autem recusans pro confesso habetur, sed neuter hanc poenam incurrit ante sententiam judicis reum vel absolventis, vel uti confessum condemnantis.

A juramento calumniae differt juramentum *malitiae*, quo quis jurat, se certum quidpiam nulla malitia proponere, aut petere. Differt inquam; nam istud judicis mandato pluries exigi potest, quovis litis tempore, et profertur non super tota causa, ut juramentum calumniae, sed super aliquo ejus articulo: unde istud *particulare* est, illud *generale*.

TITULUS IX.

DE DILATIONIBUS.

Dilatio judicialis generatim accepta est *justum temporis intervallum, quod actori vel reo conceditur ad aliquem actum judiciarium commodius exercendum vel expediendum.* Dividitur in legalem, conventionalem, et judicialem strictius acceptam.

Legalis est, quae datur a lege, vel consuetudine; qualis est tempus decem dierum ad appellandum.

Conventionalis est, quam partes mutuo consensu determinant ad prorogationem negotii.

Judicialis strictius accepta, quae dicitur etiam arbitraria, est illa, quam judex suo arbitrio concedit secundum causae circumstantias. Cum igitur ejus concessio sit actus judicialis, sequitur ut fieri debeat a judice pro tribunali sedente, causa cognita, utraque parte praesente et neutra contradicente, nisi pars dissentiens injuste renuat, et pars absens probatura praesumatur: demum ut ab effraenata dilationum concessione detur appellatio.

Dilationes arbitrariae triplicis sunt generis: nam aliae dantur in prima litis parte, nempe a citatione usque ad litis contestationem, et dantur vel ad comparendum, vel ad deliberandum, num qui ad judicium vocatus est litem agere velit: hae deliberatoriae, illae citatoriae sunt.

Aliae dantur a litis contestatione usque ad sententiam definitivam utrique parti ad testes, instrumentaque conquirenda, quibus actor probet actionem suam, reus suam defensionem; idcirco dicuntur probatoriae.

Aliae demum dantur in fine litis, ad judicis vel audiendam sententiam, vel mandatum exequendum: illae definitivae, hae dicuntur exequutivae.

Effectus dilationum est: 1. ut judicis officium interim conquiescat, nihilque agendum, vel innovandum sit circa

articulum causae, super quo data est dilatio: 2. ut nisi pars actum fecerit in dilationis termino ad eum faciendum assignato, amplius non audiatur, judexque contra possit procedere.

TITULUS X.

DE PROBATIONIBUS.

Controversia omnis inde nascitur vel quia certum est jus facto applicandum, sed factum ipsum incertum est; ex. gr. certa est lex, quae jubet creditori restituendam esse pecuniam mutuo datam; at dubium est, an Titius centum aureos Cajo mutuo dederit; vel quia incertum est jus facto applicandum, certum vero est factum: ex. gr. certum est factum aliquod; at dubitatur, num lex seu scripta, seu non scripta de illo facto praecipiens vigeat nec ne, aut quomodo sit interpretanda; vel ut alio exemplo utar, constat Baronem a tempore immemorabili exercuisse privativam, ut ajunt furni, molae etc., idest jus prohibendi homines, ne in suo feudo alio furno, mola quam sua uti possint; at dubitatur num praescriptione licet immemorabili acquiri possint hae *regaliae*, idest jura supremi tantum principis propria.

Rarissimae sunt in foro controversiae secundi generis, idest juris; sed omnes aut fere omnes, quae in judiciis agitantur, sunt controversiae facti. Si enim quaevis causa penitus inspiciatur patebit, rem de qua ultimo loco dubitatur esse factum; ex ea dubitatione nasci controversiam, et ea dirempta controversiam dirimi: si ex. gr. emptor contendit, ut venditor reddito pretio recipiat rem venditam sibi traditam ita vitiosam, ut inepta omnino sit usui intento; res, de qua ultimo loco dubitatur in hac causa, est num vitium rei venditae extet, ejusque usum impediat. Hoc factum negat venditor, affirmat emptor, sed uterque convenit in lege, quae jubet, venditorem cogi posse ad rem ipsam venditam recipiendam ob vitium rei usum impediens; secus cogi tantum posse ad restituendum tantum pretii, quanto minoris propter vitium res fuit aestimanda cum venderetur.

Quando reus negat simpliciter factum, ex. gr. mutuatam sibi fuisse pecuniam; tunc probationes omnes, quibus

litigantes in judicio utuntur, facti sunt: quando reus negat non substantiam facti, sed qualitates; tunc partes praeter probationes, quibus demonstrare student, rem modo hoc vel illo esse factam, frequentius allegare solent jura, seu leges; contendunt enim causae facto (quoniam res diverso modo acta est ac pars altera velit) diversam legem, aut aliam partem ejusdem legis esse applicandam ut facile patebit allato exemplo.

Ex quibus omnibus rite nos deducimus: 1. id quod partes in judicio probare debent factum esse, non jus, et idcirco probationem sic definiri: *Probatio est facti alicujus dubii legitime facta demonstratio apud judicem:* 2. judicem sententiam ferre debere secundum ea, quae in facto allegata sunt et probata: 3. eum scientia sua supplere debere jus, quod facto ab alterutra partium probato applicandum est, etsi advocatus vel nullam, vel legem non idoneam allegasset.

Omnis facti probatio dividitur in *plenam*, et *semiplenam*. Plena est quae sola plenam fidem facit judici in re de qua agitur, ut is definitivam sententiam pro parte probante ferre debeat.

Hujusmodi est confessio rei judicialis, testimonium duorum hominum exploratae fidei, instrumentum publicum, vel alia scriptura authentica, jusjurandum necessarium, praesumptio juris et de jure. Probatio plena si necessaria est in causis civilibus actori, multo magis erit accusatori in criminalibus, in quibus probationes requiruntur luce meridiana clariores. Probatio semiplena est, quae facit mediam quasi fidem, at si cum alia semiplena conjungatur, poterit plenam fidem conciliare: talis ex. gr. esset unius testis fide digni testimonium juramento suppletorio adjunctum. Verum judex diligenter pensare debet qualitatem tum causae, tum utriusque probationis semiplenae; et quamvis eam conjunctionem adhibere aliquando possit in causis civilibus levioris momenti; nullo tamen pacto ea utetur in causis civilibus aut criminalibus, nisi probationes illiusmodi conjunctae certitudinem moralem pariant. Sed jam de variis probationum generibus: agendum primum est de confessione rei, quae dividitur in judicialem et extrajudicialem.

Judicialis est, quae fit in judicio et coram judice competente. Ea si fuerit rite facta, idest a majorenne, absque

vi, tormentis, errore, et dolo, plenissime probat adversus confitentem, actoremque levat ab onere cujusvis alterius probationis.

Confessio extrajudicialis est, quae vel non fit in judicio, vel fit in judicio coram judice non competente. Ea si fuerit sponte facta non incidenter et non satis probata, vim habet tantum semiplene probandi.

Confessio praesertim judicialis dividitur in *simplicem*, et *qualificatam*. Simplex est, cum reus debitum vel crimen pure fatetur, idest nulla exceptione, qua se tueatur, adjecta; qualificata est si hujusmodi exceptionem addit, ex. gr. se mutuum accepisse, sed jam solvisse; se occidisse Titium aggressorem tantum, et servato modo inculpatae tutelae.

De confessione qualificata statuendum est ita.. Actor vel judex potest accipere substantiam confessionis, et in reum rejicere onus probandi additam exceptionem, si ista separata sit a negotio principali, vel contra se habeat praesumptionem juris, quemadmodum est in allatis exemplis, quia solutio factum est a mutuo separatum, et jus praesumit, hominem dolo, non defensione necessaria occisum.

At si exceptio addita a reo in sua confessione est factum vel connexum cum negotio principali, vel pro se juris habens praesumptionem, tunc confessio rei aut integra recipienda est, aut actoris erit, probationes afferre ad excludendam exceptionem; sicuti esset ex. gr. si reus fateretur, se vere donasse, at sub conditione nondum eventa; se revera vendidisse, at pretio majori quam actor dicit; se chirographum creditori, apocham debitori dedisse, at sub spe numerandae pecuniae, et cum ita fateretur, nondum elapsum fuerit biennium, vel triginta dierum spatium a die dati chirographi vel apochae.

Quoniam nulla major probatio dari potest confessione judiciali, inventae sunt positiones, quibus una vel utraque pars tentat habere alterius confessionem, non super facto principali, quod est fundamentum causae, sed super aliis factis ad causam pertinentibus. Positiones enim sunt assertiones factorum ad causam pertinentium (nam pars producens asserendo illas debet exprimere), super quibus altera pars in jure interrogata debet respondere per verbum *credi*, vel *non credi*, ut de factis, quae fatetur, urgeatur sua confessione, tamquam re satis probata; de illis,

quae negat, aliis probationibus, ex. gr. testibus convinci possit; de illis demum super quibus tacet, habetur etiam pro confesso, nisi causa non respondendi fuerit qualitas positionis, idest si fuerit obscure, captiose expressa, vel de re inutili, vel causae extranea.

Testes sunt alterum probationis genus: de illis igitur jus plura sancivit, quae partim spectant conditiones necessarias, ut testimoniis eorum fides adhibeatur, partim spectant eorum usum in judiciis. Conditiones illiusmodi sunt: 1. ut testes sint idonei: 2. ut debito modo testentur: 3. ut sint numero a lege statuto.

Testes idonei sunt omnes illi, quos leges a testimonio ferendo non arcent; at leges a testimonio prohibent omnino quosdam ob conditionem personae testium, alios tantum pro certis personis vel contra certas personas, ob conditionem personae eorum, pro quibus dicunt, aut in quos dicunt, alios denique in certis causis ob conditionem causae.

Generatim rejiciuntur: 1. ex aetatis, ingeniique infirmitate impuberes, maximeque infantes et infantiae proximi; sed pubertati proximi in crimine laesae majestatis admittuntur: 2. ex animi morbo mentecapti et furiosi: 3. ex morum improbitate usurarii manifesti, meretrices, haeretici, infames, damnatique omnes ob calumniam, vel carmen famosum, vel adulterium, vel ob pecuniam pro testimonio ferendo receptam.

Pro certis personis testimonium ferre nequeunt domestici, familiares, affines, consanguinei, aliique potestati inducentis subjecti. Sed hi omnes in causa matrimonii admittuntur, si pro inducente testentur; in ceteris causis tantum, si contra eum: rejiciuntur etiam amici pro amicis, socii pro sociis criminis vel contractus, correi pro consortibus.

Adversus certas personas testari nequeunt reus contra socios criminis (praeterquam in criminibus laesae majestatis, haeresis, simoniae). Praeterea inimicus contra inimicum, libertus contra patronum, filius contra patrem, et hic contra filium (exceptis causis matrimonii), Haeretici et Judaei contra Christianos.

In certis denique causis testificari nequeunt feminae, scilicet in testamentis, causis criminalibus: patronus et advocatus in causa quam tuetur, judex in causa quam judicat, et denique quivis in causa propria, vel tali unde aliquod emolumentum redundat etiam in testante.

Testes debito modo testantur : 1. si constantes sint in testimonio, idest non varient, vacillent, aut sibi ipsi contradicant : 2. si de re ex scientia sua testentur, et causam scientiae afferant illius rei propriam, de qua testantur; idest se vidisse, vel audivisse, prout visu vel auditu erat percipienda : 3. si non singulares, sed contestes sint inter se, idest in substantia facti conveniant.

Testium singularitas est triplex, vel *adminiculativa*, seu *cumulativa*, ut Forenses ajunt, cum nempe duo testes deponunt de diversis quidem actibus, sed ad eamdem rem conducentibus, ex. gr. si unus testatur, se vidisse Titium equum auferentem; alter, se audivisse Titium confitentem furtum : vel *obstativa*, seu *adversativa*, cum nempe testes deponunt de diversis actibus inter se contrariis, et sese mutuo destruentibus : quemadmodum illi duo senes, qui testabantur, Susannam commisisse quidem adulterium, unus sub scbino alter sub prino : vel *diversificativa*, idest cum duo testes deponunt de actibus diversis non tamen inter se contrariis, nec se mutuo adjuvantibus, ex. gr. si unus testatur, Titium dedisse Cajo centum calendis aprilis, alter tempore diverso.

Testimonium testium contestium, ut diximus, plene probat. At testimonium testium singularitatis adminiculativae aliquam certe probandi vim habet; sed an plene probet pendet ab arbitrio judicis et qualitate causae. In testibus, qui sunt singularitatis obstativae, vel diversificativae, unum tantum testimonium habetur; nam unum ab altero differt, alteri adversatur; sed num aliquis saltem eorum fidem mereatur, pendet ex qualitate testium, ceterisque causae adjunctis. Ceterum quamvis unus vel alter aliquam fidem facere possit, semper tamen testimonium erit singulare, proindeque ex se infirmum.

Numerus testium generaliter necessarius ad plenam alicujus facti probationem est saltem duorum, nisi jus vel requirat plures quam duos, ut in testamentis, codicillis, donationibus causa mortis, divortiis, repudiis, confectione inventarii etc.; vel unico tantum teste contentum sit ut est : 1. si quis testetur de re, in qua nemini damnum esse potest; Ecclesiam esse consecratam, aliquem esse baptizatum : 2. si testetur de re ad proprium officium spectante, ut cursor de citatione exequuta : 3. si testetur contra inducentem; non enim praesumitur repugnare eidem, qui induxit.

Hactenus de conditionibus necessariis, ut testinm dictis fides habeatur. Pauca nunc de testium usu in judiciis, in qua re spectari debet necessitas testandi quae illis imponitnr a jure, modus qno partes eos nominant, et prodncunt, modus denique quo a judice recipiuntur, examinantur, eornmque testimonia publicantur.

Necessitas testimonii dicendi testibus imponitur a jure per denunciationem illis factam a judice, ut testimonium dicant. Si absque justa causa recusent, censuris per judicem Ecclesiasticum, multis, pignore, confiscatione bonorum per jndicem saecnlarem cogi poterunt.

Prodnctio testium licet tam actori quam reo, eosque licet producere semel, iterum, et tertio; idest novos testes dare ad ejusdem rei probationem: non tamen regulariter ultra tertiam productionem.

Sed testes judex nequit recipere: 1. ante litem contestatam, nisi forte de morte absentiave testis timeatur: 2. contraria parte non citata, si quid illa forte testibus vult opponere, ne recipiantur: 3. elapso termino partibus ad eos producendos constituto: 4. si pars quae novos testes vult producere, dicta testinm ante productorum cognoverit ex eornm publicatione jam facta, aut alio modo exploraverit; quia periculum est, ne novis testibus subornatis emendet ea, quae in prioribus testimoniis non placent.

Examen testium ut rite fiat: 1. debent illi antequam deponant, praestare juramentum veritatis, nisi illud remiserit pars adversa, quae proinde citanda est, ut juramento adsit: 2. examinari debent a jndice, vel alia idonea persona ab eo delegata: 3. debent examinari singillatim, idest unus seorsim ab altero: 4. et secreto, idest litigantibus remotis, ut habet bodiernus fori usus: 5. debent examinari super articulis, ut ajunt, probatorialibus a parte quae producit testes, conficiendis: 6. debent etiam examinari cum interrogatoriis, ut ajunt, quae altera pars efformaverit super iisdem articulis, qui proinde communicandi ei snnt: at secundum boc testinm examen fieri oportet solum in iis causis, in quibus expresse a lege requiritur: 7. Demnm finito cnjnslibet testis examine, dimittendus est is imposito silentio, ne detur testibus occasio collndendi inter se, vel aliter enunciandi quam sciunt.

Examen sequitur ejns publicatio, quae facienda est citata parte contra quam testes inducti sunt; ut ea possit

antequam fiat publicatio novos testes prodncere. Eadem fit, cum judice jubente praelegnntur in judicio testinm dicta alteri parti, eique permittitur, ut possit in sua manu habere processum originalem examinis testinm contra se facti. Hac publicatione sequnta, testes regulariter nequeunt amplius examinari super iisdem articulis, vel directe contrariis, ne instruantur a parte, ut aliquid addant, vel detrahant suis testimoniis.

Instrumentum, quod est tertium probationis genus, est omnis scriptura, quae de re aliqua fit, ut extet in ea rei gestae fides, et testimonium. Dividitur in publicum et privatum.

Publicum est, quod forma a jnre praescripta conficitur a persona publica, idest publica auctoritate constituta pro instrumentis illius generis conscribendis, sive actus qui in instrumento describitur sit publicus sive privatus, idest auctoritate publica vel privata confectus. Instrumentum igitur, si conscribatur a persona privata, etiamsi actus in eo descriptus fuerit publicns, non erit publicum sed privatum.

Ceterum si instrumenta confecta sint a persona publica, et actus publicus in iis contineatur, dicuntur monumenta publica; quemadmodum sunt acta judicialia, census, insinuationum, Baptismi, ordinis collati: sin ea sint confecta a persona publica, sed actum privatum contineant, veluti sunt instrumenta testamentorum, contractuum a notariis seu tabellionibns ad juris formam confecta, idest expresso anno, indictione, mense, die, loco contractus, vel testamenti, inscriptis nominibus testium, subscriptoqne nomine tabellionis, simpliciter dicuntur instrumenta publica.

Privatum est, quod fit a persona privata, idest nulla publica auctoritate munita ad instrumenta conficienda. Hujusmodi sunt instrnmenta tum *obligationis*, ut Chirographum quo quis testatur, ex. gr. se debitorem esse ex mutuo, vel alio contractu unilaterali; syngrapha, qua quis debitorem se fatetur ex contractu bilaterali; tum instrumenta *liberationis*, ut apocha, qua creditor testatur, suum creditum sibi esse solutum; antapocha, qua debitor fatetur se creditori solvisse censum vel pensionem, ut creditor adversus praesertim heredes debitoris possit suum creditum probare; tum *libri privati rationum*, idest dati et ac-

cepti; tum inventaria privata, literae sive missivae, idest epistolae, sive cambiales etc.

Praeterea instrumenta sive publica sive privata, sunt vel authentica qnae originalia, vel exempla quae copiae vulgo dicuntur.

Itaque ut exemplum instrumenti vim babeat probandi, duo requirnntur: 1. ut originale, unde illud desumptum est ad verbum, ipsum per se fide dignum sit: 2. ut constet de fidelitate exempli, id quod erit, si de eo testetur vel publica persona, vel duae tresve personae fide dignae, maxime vero si a persona publica auctoritate judicis desumptum sit ab originali.

Instrumenta publica plene probandi vim habent adversns quoscnmque, et tam pro producente, qnam contra ipsum.

Instrumenta privata plene probant tantum contra scribentem, si ab eo ut sna agnoscantur, et si causa debendi in ea fuerit expressa. Excipiuntur libri mercatorum legaliter tenti, in qnibus scilicet nullae adparent mutationes, additiones, notae, seu apostillae, liturae, abrasiones: 2. rationes sociornm: 3. omnes scriptnrae privatae trium testium fide dignorum subscriptione munitae: quae omnia instrumenta licet privata, tamen plene probant etiam contra alterum pro scribente, vel reo cujus nomine scripta sunt.

Si contigerit ut instrumentum seu pnblicum seu privatum, quod partes vellent in judicium producere, detrimentum acceperit, hisce regulis utemnr. Paucarum literarum litura in parti non substantiali nibil nocet, modo in ceteris instrumentum integrum sit, non abrasum neqne corruptum. Sin fuerit amissum, haec amissio nibil nocet, neque si instrumeutum probationis causa tantum fnit scriptum, modo res in eo contenta alio pacto probetur; neque si ad rei quoqne substantiam inserviebat, modo haec duo probentur; nimirnm instrumentum confectum fuisse, et doceatur tenor instrnmenti.

Quarta probationis species est juramentum in judicio delatnm litis decidendae causa, quod re et nomine differt a juramentis calumniae et malitiae, quae jam explicavimus in tit. VIII. hujns libri. De uno illo agendum a nobis hic est; haud de juramento, quod eodem fine litis decidendae causa datur extra judicium.

Duplex illud est, vel enim ab uno litigantium alteri defertur, et proprie dicitur *judiciale*, vel uni litigantium, altero licet invito, defertur a judice, et proprie dicitur *necessarium*.

Si actori juramentum defertur a reo, vel judice, is jurabit, rem quam petit suam esse, vel petitoris non esse, et actione personali conventus jurabit, nullo modo illam a se actori deberi.

Potest autem pars cui defertur juramentum, eligere vel ut ipse juret, vel ut juramentum alteri parti referat, ex. gr. actori delato juramento jurabit is de veritate suae actionis; sin jurare nolit, debet juramentum referre reo, et tunc iste jurare debet de veritate suae exceptionis.

Quodlibet sit juramentum, judex praescribit illius formam et verba, in quae judice praeeunte et praesente pars jurabit.

Effectus juramenti tam judicialis, quam necessarii est, ut qui recuset praestare juramentum sive delatum sive relatum, causa cadat, idest actore recusante reus absolvatur, recusante reo is pro confesso habeatur: si vero alteruter juramentum praestiterit, sententiam judex ferre debet pro jurante. Unde apparet quantam juramentum de lite vim habeat ad probandum, et quanta sit illius praestandi necessitas.

Sed haec necessitas jurandi, vel juramentum referendi in judiciali remittitur, si pars cui juramentum defertur justam causam excusationis habeat: ex. gr. 1. si qui defert non ante juraverit de calumnia, neque paratus sit jurare altera parte exigente: 2. si juramentum alias a se delatum, et nondum ab adversario praestitum revocaverit; absurdum est enim redire ad id, cui semel renunciatum est: 3. Si is cui defertur bona conscientia non possit jurare ob ignorantiam puta facti alieni; ex. gr. si cum heres Titii Cajum conveniret ob mutuum, quod Titius ipse fecit Cajo, Cajus juramentum deferet actori: vel 4. si is cui defertur instrumentis aut testibus rem plane probaverit.

Juramentum necessarium injuste delatum a judice, pars non solum poterit impune recusare si sibi deferatur, sed etiam se opponere ne alteri parti deferatur. Injuste erit delatum: 1. si illud judex deferat causa plene jam probata; tunc igitur sive deferatur parti, quae probavit, sive alteri parti, pars probans impune juramentum sibi dela-

tum recusabit, et jure se opponet ne alteri deferatur parti: 2. causa ne semiplene quidem ab actore probata; tunc enim reus jure recusabit juramentum sibi delatum, et obsistet, ne actori deferatur: 3. si deferatur ei, cui deferri minus aequum videtur ob justas causas, ex. gr. si deferatur parti, quae inferioris fidei, et conditionis esset.

Quinta probationis species desumitur ab inspectione rei ipsius in controversiam venientis a judice facta per se ipsum vel per idoneas personas ad id deputatas. Ea maxime utimur in causis finium regundorum, servitutum, reparationis Ecclesiae, matrimonii, si de impedimento impotentiae agitur.

Sexta probationis species est fama, quae definitur: *communis hominum alicujus oppidi de aliqua re sermo, et judicium ex sola suspicione, certo tamen auctore proveniens*: haec duo proprie habet: 1. ut tota vicinia, vel major pars populi aliquid asserant: 2. ut assertio haec fundetur super certis auctoribus, qui dixerint se vidisse aut interfuisse.

Quantum vis sit famae ad probandum, et quando ea dicatur legitime probata, pendet a qualitate causae, et a prudentis judicis arbitrio. Certe multo plus ponderis habet fama, quam rumor, qui definitur particularis sermo, seu assertio ex sola suspicione et incerto auctore proveniens. Igitur cum rumor nec certos habeat auctores, et sit in minori parte communitatis, suspicionem tantum, et levissimam praesumptionem inducit.

Praesumptio, quae est ultima probationis species, definitur: *Opinio deprompta ex probabilibus argumentis vel ex rerum circumstantiis plerumque contingere solitis, nam ex certis argumentis non opinio sed veritas nascitur*. Ea duplex est, hominis et juris.

Praesumptio hominis est, quam lex non confirmat, sed determinandam relinquit prudentis judicis arbitrio, ut ipse aestimet, et sequatur quod maxime sibi credibile videtur; eadem est vel *levis*, seu *temeraria*, quae debili conjectura fulcitur, ex. gr. si quis alterum homicidii arguat, ideo quod ante ejus domum cadaver occisi fuerit inventum; vel *probabilis* quae gravi; vel *violenta* quae graviori fulcita conjectura rei controversae aliquam probationem facit.

Praesumptio juris ea est, quae non rationi solum innititur, sed legis etiam auctoritate confirmatur. Dividitur in praesumptionem juris tantum, et in praesumptionem juris et de jure.

Praesumptio juris tantum est, quae ita confirmatur a lege ut vim plenae probationis habeat, nisi contrarium ostendatur, ex. gr. talis est illa, qua filius domi natus ex uxore ejusque marito conceptus creditur.

Praesumptio juris et de jure ita confirmatur a lege ut non modo plenae probationis vim habeat, sed nec contrariam probationem admittat; hujusmodi ex. gr. erat praesumptio illa matrimonii, quae ante Concilium Tridentinum nascebatur ex sponsi et sponsae concubitu.

Explicatis jam singulis probationum speciebus, videndum superest, quis debeat illas afferre, actor ne an reus. Regula probatissima ab utroque jure est, actore non probante reum absolvi oportere, quamvis hic nihil praestiterit. Sunt tamen tres casus, in quibus probationis onus est reo: 1. si reus in sua defensione aliquid asserit, ex. gr. se particulari privilegio exemptum fuisse a solvendis decimis: 2. si onus probationis sponte suscepit: 3. si actor juris defensione se defendat.

TITULUS XI.

DE SENTENTIA.

Probationes sequitur conclusio. In causae conclusione sententia est *actus judicialis, quo posito partes nequeunt alias facti probationes in judicium producere, sed controversia per judicis sententiam terminanda est.*

Conclusio in causa fit judicis mandato partibus invitis, nempe cum judex illis pro suo arbitrio et aequitate praefigit terminum ad probationes afferendas, quo elapso censetur in causa conclusum: vel fit partium conventione suam voluntatem declarantium sive facto, sive verbis scripto ac voce expressis.

Quamvis autem facta conclusione partes non possint alias probationes *in facto* consistentes producere: tamen iis permittitur nova juris allegatio, et judici semper licebit novas probationes tam juris, quam facti exigere.

Sententia, qua judices utuntur in judiciis, duplex est, *definitiva*, vel *interlocutoria*. Illa est pronunciatio judicis finem liti imponens per absolutionem vel condemnationem rei. Altera est pronunciatio judicis aliquid jubentis, qua causa magis praeparatur ac promovetur, non terminatur;

ex. gr. si judex jubet corporis inspectionem, concedit dilationem, testis alicujus repulsam admittit.

Datur etiam sententia *provisionalis*, quae tamen similis est interlocutoriae. Sententia provisionalis est pronunciatio judicis, qui causam terminare cum nequeat, quia nondum est satis instructus, aliquid decernit in re, quae non patitur dilationem, ut si agatur de alimentis, de divortio, de Ecclesiae ruinosae reparatione etc.

Sententia definitiva differt ab interlocutoria: 1. quod hanc judex pronuncians potest corrigere; illam potest tantum declarare, non corrigere: 2. quod a definitiva detur appellatio, non ab interlocutoria, nisi haec vel definitivae vim habeat, idest talis sit, ut post eam nulla alia sententia possit attendi; qualis ex. gr. esset sententia judicis reum absolventis ab observatione judicii, vel damnum inferat haud reparabile per appellationem a definitiva, ut esset sententia interlocutoria decernens interdictum, carcerationem, torturam etc.: 3. quod crimine damnatus per sententiam definitivam contrahit infamiam; secus autem qui per interlocutoriam: 4. quod interlocutoria solemnitates non requirat; secus illa.

Hujusmodi solemnitates sunt: 1. ut in definitiva pronuncianda judex sedeat: 2. eamque ipse recitet nisi sit persona illustris, quae sententiae lectionem potest alteri mandare: 3. ut recitet ex scripto: 4. in lingua usitata: 5. in loco publico et consueto: 6. interdiu: 7. non die feriato: 8. praesentibus partibus vel saltem citatis ad sententiam: 9. elapso termino hujus citationis.

Praeter has qualitates extrinsecas requiruntur hae intrinsecae: 1. ut sententia non sit contra jus clarum et certum: nulla igitur esset sententia judicis pronunciantis, ex. gr. electionem factam a suspensis valere: 2. neque sit lata ex instrumentis, aut testibus notorie falsis: 3. ut sit certa, idest res, quae debetur et in quam fit condemnatio, determinetur quantum fieri possit, nisi sententia sit de judicio universali, ex. gr. petitionis hereditatis, ubi non agitur ad res speciales hereditatis habendas, sed ut actor heres declaretur, defunctique hereditatem in genere consequatur: 4. ut sententia sit conformis libello idest petitioni actoris, neque vagetur ultra id, quod partes litis contestatione in judicium deduxeriut.

TITULUS XII.

DE RE JUDICATA, ET EJUSDEM EXECUTIONE.

Res judicata multiplicem habet significationem; verum ut hic accipitur, est *sententia judicis, a qua post spatium decem dierum appellatum non est, quaeque tunc dicitur transire in auctoritatem rei judicatae.*

Auctoritas seu vis rei judicatae est, ut sententia judicis in rem judicatam transiens pro veritate haberi debeat, neque possit sive in eodem judicio, sive in alio retractari.

Ceterum haec regula ita intelligenda est: 1. ut sententia lata in causa spirituali, ex. gr. matrimonii vel alterius rei, unde periculum animae imminet, numquam transeat in rem judicatam, detectoque errore possit revocari: 2. ut res judicata noceat tantum actori, vel reo, eorumque successoribus et heredibus, haud tamen aliis de eadem re acturis, quibuscum judicium gestum non est.

Verum res judicata aliis etiam praeter actorem, et reum, eorumque heredes nocet: 1. si cum alterius persona judicaretur de jure, aut proprietate rei ad eos etiam pertinentis, ipsi sciverint, neque prohibuerint cum possent; veluti si creditor passus est, debitorem experiri de proprietate pignoris, aut maritus socerum de proprietate rei dotalis: 2. si sententia lata sit in causa status, legitimo contradictore praesente, ex. gr. si inter heredem scriptum et legitimum lite acta pronunciatum sit, testamentum non valere, res judicata nocebit etiam legatariis; nam cum testamento evertuntur legata. Cum igitur sententia, quae transit in rem judicatam, nullo modo possit retractari, restat jam ut executioni detur: quaeremus igitur quis habeat jus illam exequendi, quo temporo et modo sit exequenda.

Sententiae executio actus est jurisdictionis et imperii. Judices igitur, qui jus habent nudae notionis absque ulla jurisdictione vel imperio ordinario, aut delegato, quemadmodum olim erant judices pedanei, sunt modo arbitri, aliique quamplurimi sententiam suam ipsi nequeunt exequi; sed illam exequitur magistratus, qui judices dedit, vel jurisdictionem habet in litigantes ab arbitro judicatos, vel ex reipublicae instituto aliorum tribunalium sententiam exequitur.

Quod spectat tempus executionis in causis criminalibus, ait lex 5. Cod. *De custodia reorum.* » Conventos poena velox subducat, liberandos custodia diuturna non maceret ». Verum si iratus princeps quidquam severius in aliquem contra morem jusserit, judex habet triginta dierum inducias ad sententiam exequendam, ut videat, si quid princeps de rigore remittat.

In causis civilibus si actio realis sit, statim victus dare jubetur quod injuste possidebat. Sin actio personalis sit, dantur reo quadrimestres induciae ad rei judicatae executionem, nisi judex pro diversis rerum adjunctis illud tempus contrahere, vel protrahere duxerit.

Modus etiam servandus est in executione sententiae latae in causa civili. Primo enim res mobiles, si quae sunt, distrahi debent, ut creditoribus satisfiat; si illae satis non sint, distrahuntur immobiles; iis quoque deficientibus, debitor carceri mancipatur. At clericis datum est, ut si solvendo impotentes sint, ex Ecclesiae proventibus, vel bonis patrimonialibus congrua eis detur sustentatio, et cetera bona eorum in beneficium cedant creditorum; sic tamen ut si clericus ad meliorem fortunam pervenerit a solutionis obligatione non eximatur. Id vulgo dicitur clericale privilegium capitis *Odoardus*, quia extat in cap. *Odoardus* 3. *De solutionibus.*

TITULUS XIII.

DE APPELLATIONIBUS.

Appellatio est ab inferiore judice vel magistratu ad superiorem provocatio, ut hic sententia vel auctoritate sua corrigat damnum ex inferioris sententia aut facto illatum vel inferendum.

Appellatio sic definita comprehendit appellationem judicialem et extrajudicialem. Illa fit contra actus judicio gestos, idest sententiam definitivam, vel interlocutoriam: ista contra actus extra judicium gestos, ex. gr. contra decreta ab Episcopo lata in Dioecesis visitatione.

Triplex erat antiquitus judicialis appellationis forma. Prima quando quis provocabat a sententia, quae lata esset contra receptissimos canones, vel ab illegitimo judice, vel violato substantiali juris ordine; neque enim tunc causa

de integro agitabatur, sed inspecta judicii forma, illud irritum declarabatur. Haec proprie dicebatur *confugium*.

Altera quae appellabatur *provocatio*, fiebat, cum nihil peccatum erat contra legitimam judicii formam; sed querela interponebatur solum de sententiae injustitia apud superius tribunal, in quo tamen una cum aliis judicibus prior ipse judex assidebat.

Ab hac in eo tantum differt tertia appellationis forma, quod in ista itur ad judicium superioris, excluso penitus priore judice. De hac specialius disserendum est.

Interponitur appellatio voce, vel scripto. Si quis appellat a sententia definitiva apud acta, nempe statim, et judice adhuc pro tribunali sedente, satis est si dicat: *appello*. Si appellat elapso aliquo temporis spatio post latam sententiam, appellatio in scriptis facienda est. Qui appellat ab interlocutoria, opus semper habet libello, in quo exprimi debet causa gravaminis. Quaecumque sit appellatio et quovis modo fiat, semper ea deferenda est a judice inferiore ad superiorem, et quidem gradatim; nisi quis, omisso judice intermedio, ad summum Pontificem appellet. Appellare possunt omnes, sive sint prioris judicii litigantes, actor vel reus, sive alii, qui nullas in eo partes sustinuerint, modo ipsorum intersit, ne sententia transeat in rem judicatam.

Generatim appellatio permittitur in omnibus causis: excipiuntur quaedam personae, certaeque causae, in quibus non licet appellatio. Ea denegatur: 1. contumaci, sive actor sit sive reus, qui vellet appellare: 2. reis manifesti criminis, latronibus insignibus, seditionum concitatoribus, vel reis propria confessione convictis: 3. publicis debitoribus: 4. appellanti ne testamentum aperiatur: 5. iis qui se non appellaturos jurarunt: 6. iis contra quos tres conformes sententiae prolatae sunt: 7. fisco a sententia, qua reus absolvitur, quamvis appellatio licet parti offensae seu laesae. Quae vero sint causae, in quibus ob earum qualitatem negatur appellatio, nequit perfecte intelligi, nisi ante noverimus duplicem appellationis effectum, quorum alter dicitur *suspensivus*, et impedit, ne sententia jam lata detur executioni: alter ab appellatione inseparabilis dicitur *devolutivus*, et causae cognitionem ad superiorem judicem defert, ut iis omnibus accurate discussis, priorem sententiam confirmet, vel infirmet sive omnino sive ex parte.

Itaque tria sunt causarum genera comparata ad appellationem. Primo generi denegatur appellatio omnino : ad hoc genus pertinent : 1. causae civiles parvi momenti juxta peculiarem locorum consuetudinem : 2. causae licet graves a principe alicujus judicio commissae, quacumque appellatione remota : 3. causae quae versantur super factis notoriis : 4. causae in quibus judex pronunciavit juxta clarum juris textum : 5. causae in quibus nulla apparet justa appellandi causa : 6. causae juramento judiciali, non necessario decisae : 7. causae per arbitri voluntarii sententiam definitae. In his omnibus causis appellatio negatur tam in suspensivo, quam in devolutivo.

Conceditur appellatio in devolutivo tantum alteri causarum generi, in quo continentur causae excommunicationis, alimentorum, stipendii seu mercedis, decretorum Episcopi in sacra visitatione etc.

Causis tertii generis, illis nempe omnibus, quae neque primi, neque secundi generis sunt, appellatio plena conceditur, idest tam in devolutivo, quam in suspensivo.

Cum igitur appellatio pro diversa qualitate personarum appellantium vel causarum, modo sit penitus neganda, modo ad unum tantum, vel ad alterum etiam effectum concedenda; appellans tenetur intra triginta dies petere a judice, a quo appellat, literas, quibus hic exprimat suam opinionem, num appellationi defert nec ne, et quibus judici, ad quem appellat, exhibitis introducatur appellatio, eidemque judici constet, appellationem fuisse interpositam, ut idem possit appellationem vel rejicere vel admittere, sive in devolutivo tantum, sive etiam in suspensivo; semper enim totum hujus rei judicium ad judicem superiorem, ad quem appellatur, tantummodo spectat; qui judex, si appellationem nullo modo admittendam esse judicet, appellantem in expensas condemnatum ad priorem judicem remittat.

Hae literae dicuntur *apostoli* a graeco verbo, quod significat : missus, seu dimissus. Significant enim causam a primo judice dimitti ad judicem superiorem ; sunt autem multiplicis generis.

Alii dicuntur *dimissorii*, in quibus judex a quo dimittitur, testatur, appellationem fuisse interpositam et a se admissam.

Alii *reverentiales*, in quibus judex utrumque ut ante

testatur adjungens, se appellationi detulisse non propter ejus justitiam sed superioris reverentiam.

Alii *refutatorii*, in quibus judex significat appellationem a parte interpositam, verum a se non admissam ex causa quam debet exprimere.

Alii *testimoniales*, qui dantur a judice, cum is dubitat num deferendum nec ne sit appellationi.

Alii demum *conventionales* dicuntur, qui dantur parte contra quam appellatur, appellationi consentiente, judice autem recusante.

Sed in utroque foro hujusmodi apostoli exoleverunt, eorumque loco appellanti datur exemplum tam sententiae vel decreti a quo appellat, quam appellationis interpositae.

Sive apostoli, sive exemplum hoc judici appellationis exhibeatur, is si appellationem receperit in devolutivo tantum, literas *compulsoriales* tradit appellanti, quibus item mandat judici inferiori ut infra certum tempus acta prioris judicii transmittat; sin etiam in suspensivo, tradit epistolas *inhibitoriales*, quibus vetat etiam inferiori judici ne sententiam suam exequatur, et quidpiam innovet super ea causa, unde quidquid judex inferior postea gesserit tanquam attentatum ante omnia revocandum erit.

Qua autem ratione et ordine judicium primae instantiae, eodem, tantum paucis exceptis, solet exerceri judicium secundae instantiae, seu appellationis.

Denique ne interposita appellatione, eaque non prosequuta primum judicium frustretur omnino, appellans praeter tempus petendi apostolos, debet servare alia tempora appellationis; tempus scilicet, intra quod eam debet interponere apud judicem a quo, introducere apud judicem ad quem, et eam prosequi: si appellatio sit interposita, non introducta ad judicem ad quem spectat pronunciare, appellationem fuisse desertam; sin fuerit introducta, non continuata, id spectat ad judicem ad quem. Singula haec tempora *fatalia* dicuntur, quia nisi quis appellationem intra illa tempora vel interposuerit, vel introduxerit, vel prosecutus fuerit, censetur appellatio deserta, et judex a quo liberas habet manus ad ulteriora.

Tempus interponendae appellationis, et tempus petendi apostolos jam ante explicatum est. Tempus autem appellationis vel introducendae vel prosequendae eodem fere

passu ambulat; nam ambo incipiunt a die latae sententiae, vel gravaminis illati et cogniti: durant vero per unum annum, vel ex justa causa per biennium, nisi tempus, intra quod introducatur appellatio, judex a quo, tempus intra quod prosequenda sit, judex ad quem, instante parte victrice, brevius determinaverit; denique duo hic notentur: 1. tempus prosequendae appellationis non idem esse ac tempus finiendae appellationis; quemadmodum qui suum iter prosequitur, non idcirco ad finem itineris pervenit: 2. dubitatione exorta num appellatio admittenda sit nec ne, appellans nequit eam prosequi, nisi judex ad quem ante pronuntiaverit, eam esse recipiendam.

TITULUS XIV. ET ULTIMUS.

DE RESTITUTIONE IN INTEGRUM.

Si sententia transierit in rem judicatam, quia appellatio non fuerit interposita, vel quia licet interposita fuit tamen deserta, vel denique quia ob tres conformes sententias nullus appellationi locus esse potest; unum tantum superest remedium restitutionis in integrum. Ea definitur *in pristinum statum repositio.* Si conceditur a principe, *gratiosa* dicitur; si a judice, *ex justitia* nuncupatur: ex. gr. si quis postquam causa cecidit, novas invenerit probationes, vel exceptiones, quibus ad propriae causae defensionem utatur; tunc illi denegandum non est ut iterum illam ipsam causam coram judice promoveat.

Haec restitutio conceditur de jure minoribus 25 annis, nisi aetas minorum aliter statuto definiatur, quemadmodum peculiari Urbis lege major fit, qui vigesimum primum explevit annum: praeterea conceditur omnibus, qui minorum jure censentur, quales sunt ipsi majores qui judicio abfuerunt causa reipublicae, vel in carcere detenti, vel ab hostibus capti; Cod. *Quibus ex causis majores in integrum restituantur*: demum Ecclesia cap. 1. h. t.


Verum non conceditur restitutio nisi justa adsit causa. Praeterea locum habet non solum adversus sententiam, quae transiit in rem judicatam; sed etiam adversus alia negotia, in quibus aliquis notabiliter fuerit laesus. Verum requiritur: 1. ut negotium a quo restitutio petitur, sit primo civile, non criminale; sic minor propter furtum conde-

mnatur, non restituitur; nam ut ait lex prima Codicis *Si adversus delictum*: » minores in criminibus aetatis suffragio non juvantur; etenim malorum mores infirmitas animi non excusat »: 2. ut sit validum; quod enim nullum est rescindi nequit; restitutio autem est remedium rescissorium, et extraordinarium, quod locum habet, cum omne aliud juris remedium deficit: 3. ut negotium natura sua possit rescindi; unde contra matrimonium valide celebratum, religiosam professionem valide factam, ordines sacros valide susceptos nulla dari potest restitutio.

Tempus a jure statutum ad petendam restitutionem in integrum, est quadriennium, quo elapso petens amplius non auditur, nisi justa et rationabilis causa ei fuerit, qua impeditus eam petere non potuit. Quadriennium computatur a die quo minor excessit annum 25.; vel, si major eam petit, a die quo cessavit impedimentum, vel a die laesionis factae, si restitutionem petit Ecclesia vel Respublica.

Restitutio in integrum semel negata non conceditur nisi ex causa tit. Cod. *Si saepius in integrum restitutio postuletur*.

FINIS.



INDEX

LIBER II.

LIBER III.



IMPRIMATUR.

Fr. Dominicus Buttaoni, Ord. Praed., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR.

A. Ligi Archiep. Icon. Vicesgerens.



